




JOH. ERICI

IN ACADEMIA EQVESTRI SORANA

PROFESSORIS JURIS


OBSERVATIONUM

AD

ANTIQVITATES SEPTENTRIONALES

PERTINENTIUM

SPECIMEN.



HAFNIÆ 1769.

APUD HEINECK ET FABER.

AD LECTOREM.

Cum in Univerſitate Hafnienſi ſtudiorum cauſa degerem, & inter alia rerum ſeptentrionalium ſcriptores etiam pervolverem, plurima, ad notitiam antiqvitatum noſtrarum ſpectantia, in editis deprehendi, vel minus recte poſita, quæ multum adhuc emendari, vel prorſus omiſſa, quæ addi poſſent. Hinc mox colligere coepi quæ ſcriptores noſtros, inprimis ineditos, legenti ſubinde occurrebant antiqvitatibus ſeptentrionis illuſtrandis inſervitura, horumqve unum & alterum ſpe-

cimen partim in Dissertationibus annuis, quas leges Academicæ imperabant, partim in Annotationibus & Supplementis ad JOH. ARNÆI Introductionem ad Processum Islandicum *edidi. Soram vocatus hasce curas seponere coactus sum, aliis magis necessariis distractus; identidem vero, occasione data, resumere cogitavi, jamqve, ab aliqvot retro annis, horas ab aliis laboribus vacuas conjectaneis istis qva augendis qva ordinandis dicavi, eorumqve documentum* introductio *&* annotationes *ad* Speculum Regale *superiori anno prodierunt. Ut autem qvædam horum conjectaneorum capita in ordinem redegeram, statim animadverti, omnibus continua opera absolvendis tempus, junctim edendis facultates, haudqvaqvam suppetere; nec enim sperare potui facile repertum iri, qvi*

ma-

magno volumini, præſertim de rebus ab uſu ſenſuqve vulgari tam remotis, ſumptus impenderet, nec qvi editum emerent.

Decrevi igitur particulatim edere, & eo fine cum bibliopolio Hafnienſi Mummiano de ſumptibus ſuppeditandis egi; ita ratus & tempori meo, & emptoribus, melius conſuli, ſaltem, ſi male cederet, tenuis opellæ parvæqve expenſæ diſpendium facilius tolerari. Annuit bibliopola, atqve ideo, qvod jam, lector benevole, vides ſpecimen edo, periculum rei facturus. De eo, ut libet, ſtatuere tuum erit. Si vero probetur, emptoresqve enveniat, plura ſeqventur, nullo tamen præfinito tempore, ſed pro vitæ, valetudinis, otiiqve modo; nec certo materiarum ordini, certæve ad-

ſtricta antiqvitatum parti: ſed varii argumenti, ex re ſcilicet literaria lingvave antiqva, ex moribus & inſtitutis, ex oeconomiæ veteris artiumve notitia, ex jurisprudentia publica & privata, vel ex Philoſophia & Theologia majorum gentili, ut res ſeſe dabit, ducti. Novi qvam longe abſint ſingulares iſtæ, & qvaſi disjectæ, particulæ a juſto Antiqvitatum Septentrionalium corpore formando; ſperare tamen liceat qvalecunqve excerpendi compendium facturas, ſi qvis olim integrum fingere tentet; imo vix, ac ne vix qvidem, ſine multis id genus adminiculis, ab uno homine perfectum exſpectabitur, qvamdiu plurima rerum ſeptentrionis noſtri antiqvarum monumenta membranarum ſuarum fuligine involuta delitescunt.

Qvæ

Quæ hic prodeunt observationes Pneumatologiam & Theologiam majorum gentilem proprie tangunt. Exilis, fateor, opella; forte ne inculpata quidem, inprimis ex eorum sententia, qvi idololatriæ & superstitionum antiqvarum memoriam aboleri potius, qvam conservari optarent. Confido nihilominus sine offensa fore, cum similem aliorum operam viros etiam maximos laudasse videam. Nec omni, credo, utilitate talia carent. Etenim primo monstrant scriptores nostros antiqvos, non vana solum credulitate, sed ratione etiam, ductos hæc & similia in literas retulisse, opinionibus qvippe majorum Philosophico-Theologicis intelligendis & illustrandis apta; opinionum autem cognitionem ad ipsam populorum antiqvorum notitiam plurimum mo-

menti conferre, omnes rerum periti norunt. Deinde & hoc, quantulumcunque est, scriptionis genus, indicio esse poterit, justum Mythologiæ & Theologiæ nostræ gentilis Systema adhuc desiderari, cujus, ex mea quidem sententia, sciagraphiam paulo pleniorem peritiorum judiciis alias forte subjiciam.

OBSERVATIO I.

DE SOMNIIS

EX DOCTRINA

VETERUM SEPTENTRIONALIUM

CONSPECTUS.

Eventus omnis generis publicos & privatos ſomniis indicari Septentrionales olim crediderunt §. 1.

Hinc admodum inſigne ex ſomniis divinationis genus, multiqve ſomniorum æſtimatores, captatores, interpretes §. 2.

Utramqve tamen veteres ſeptentrionales æqve crediderunt, non tantum naturalem illam §. 17.

Sed & hanc divinam §. 18.

Commercium aliornm ſpirituum cum dormientis anima, qvod omnes fere populi olim crediderunt §. 19.

Borealas vero ſpeciatim tribuerunt Diis ſuperioribus vel majorum gentium §. 20.

Maxime tamen inferioribus, & nominatim geniis locorum ſ. Landvættis §. 21.

Parcis, tam illis proprie ſic dictis, qvam Valkyrjis ſ. Parcis bellicis §. 22.

Nec non Parcis, ſ. geniis hominum, tutelaribus §. 23.

Deniqve & mortuis, ſ. Diis manibus §. 24.

Hujus opinionis origo vix ex doctrina de transmigratione animarum; ſed potius ex altera, de divina animæ humanæ origine & natura, ejusqve ad Deos reditu. In hac autem doctrina omniqve ſeptentrionis Mythologia explicanda tres diſtingvendæ videntur Theologiæ & Philoſophiæ veteris Formæ §. 25.

Pri-

---

§. I.

De ſomniis ante omnia notandum eſt, veteres credidiſſe, ea in vita humana maximi eſſe momenti, nec plurima tantum eorum certi qvid portendere, ſed ne facile qvidem accidere qvidqvam hominibus poſſe, notatu paulo dignius,

qvin

qvin de eo per ſomnia præmonerentur. Illuſtrium perſonarum natales ſomniis indicatos plurimi tradunt, & *Helgæ* qvidem *Thorſteini Filiæ Gunnlaugi Ormstungæ Vita a*). Haralldi pulchricomi nativitatem & imperium *Sturlæus b*) ſignificari credita refert, arbore, totam Norvegiam ramorum umbra tegente, qvam Ragnhilda Regina per qvietem viderat. Eodem modo *Holmveria - Saga c*) Haurdi Holmenſium ducis ſororisqve Thorbiorgæ nativitatem portendiſſe docet arbores duas, totam domum ambientes, qvas mater Signia per ſomnum vidiſſe ſibi eſt viſa. Ita deniqve *Floamanna-Saga d*) allia qvin-

a) Cap. 2. *b*) Ed. ſv. T. 1 p. 69.
c) Ed. Isl. c. 5 & 6. p. 74 & 76.
d) Cap. 24.

qvinqve, qvæ ex dextro ſuo genu pullulaſſe Thorgilſus Orrabeinius ſomniaverat, de totidem liberis multaqve poſteritate Thorleifum explicuiſſe narrat; prætereo plura ejusdem farinæ, cum notiſſima ſint. Similia inſidiarum, cædium, bellorum, carioris annonæ, verbo: calamitatum vel emolumentorum omnis generis tam publicorum qvam privatorum, ex ſomniis præſagia alia exempla, infra adferenda, hisqve multo plura, apud hiſtoricos noſtrates ubiqve obvia monſtrant; ad qvæ generatim obſervo, qvod ea, qvæ integrarum regionum vel populorum fortunam ſpectabant, perſæpe narrentur, ipſis horum rectoribus obveniſſe; qvalia, ex multis, ſunt Gormo-Daniæ Regis de futuro Regni ſtatu ſomnia,

nia, poſt *Olafs-Sagam e*) a *Torfæo f*) deſcripta. Imo plurima præ cæteris *Hiſtoriæ Norvegicæ* & *Sturlunga-Sagæ* teſtimonia docent, idem fere hac in re majoribus noſtris creditum, qvod inde ab *Homero* veteribus pervulgatum fuiſſe præter alios *Macrobius* refert *g*): *non habenda pro veris de ſtatu civitatis ſomnia, niſi qvæ rector magiſtratusve vidiſſet, aut qvæ de plebe non unus ſed multi ſimilia ſomniasſent:* &, ſi non aliud, certe hanc ſomniorum ſpeciem principibus inprimis deberi creditam eſſe. Id & *Sverreri* Norvegiæ Regis *Vita* ſpeciatim adſtruit, etiam in ea ſui parte, cui ipſe Rex conſcriben-

e) Ed. Isl. L. 1. p. 73-74.
f) Trif. hiſt. c. 1. p. 3. 4.
g) In Somn. Scip. L. 1. c. 13.

bendæ adfuit, inter alia futuræ ejus dignitatis omina hoc qvoqve numerans, qvod *infignia de rebus fuis fomnia habuerit* (Sverri dreymdi drauma ftóra); qvæ qvamvis *nonnulli vana judicarent & ludibrio haberent* („ tóko fumer menn þat upp fyrir hegóma, ok höfdo at fpotti"), eis tamen plures in fpem melioris fortunæ haud parum erigebantur („ þotti betr dreymt enn ecki"); ipfeqve Rex, cum horum fomniorum explicationem, a viris fapientibus factam, in memoriam revocaret, hac plurimum confirmabatur, ut cædem cognatorum, & Norvegiæ imperium armis vindicaret.

§. 2. Hinc, qvod ex fomniis fiebat divinationis genus, ut maxime infi-

gne

gne omnes agnofcunt antiqvitatum borealium fcriptores; Hinc olim multi adeo fomniorum æftimatores, qvalis in *Gunnlaugi Ormstungæ vita a)* Bardus; multi qvi ex his futurorum notitiam aucupari continue folebant, qvalem Raudulfum *Wormius* exhibet *b)*, *Foftbrædra-Saga* vero *c)* fœminam qvandam in Grönlandia, qvam dormientem turbare filius noluit, *quod de rebus, quarum fcientia maximæ neceffitatis effet, certior per quietem fieri fo-leret* " þvi jafnan verdr hon þá þeirra luta vís, er henni ber naudfyn til at vita"; Hinc etiam alii, occafione data, fomnia ftu-

a) Cap. 2.
b) Not. ad Ar. Froda cap. 4. p. 132.
c) Cap. 38.

ſtudioſe captabant ſolenni adhibito apparatu, ſimiliqve inſtituto, qvo eos, *qui præerant Lacedæmoniis, non contentos vigilantibus curis, in Paſiphaæ fano ſomniandi cauſa* excubaſſe *Cicero* tradit *d*), aut qvo plurimi olim, in Ægypto, Aſia, & Græcia, *Antonio van Dale* in Diſſert. de oraculis *e*) notati, aliis in larariis, aut ad aras Deorum, excubare ſolebant, vel ſomniorum cauſa, vel medicinæ gratia *f*). Talis ſomniorum captator erat, *Bartholino g*) notante, Halfdanus Niger in Norvegia

d) De divinat. Lib. 1.

e) Ed. Amſt. 1683. p. 338. ſq. & alibi paſſim.

f) Vid. *Henrici Meibomii* Diſſert. Præſide Conringio, de incubatione in fanis Deorum Medicinæ gratia facta; & *Jablonſkii* Pantheon Ægyptiacum P. III. p. 198.

g) Antiqv. Dan. p. 678.

vegia Rex, Thorleifi ſapientis, hæc experti, ſvaſu, in hara hoc fine dormiens; talis apud *Torfæum h*) Gormus Daniæ Rex, cui, in cubiculo recens exſtructo, & qvidem in loco ubi nunqvam ædificatum fuiſſet, tres primas hyemis noctes ſoli ideo dormiendum eſſe Thyra Virgo conſuluit; talis & apud *Wormium i*) Raudulfus, qvi præter domum locumqve ubi nemo prior dormiviſſet, novas etiam veſtes lectumqve novum ad hoc reqvirebat. Gautii autem & Ogautini exemplum a *Reenhielmio k*) deſcriptum, licet prioribus ſimile, ad ea non pertinet, ſed ad ſpeciem magiæ, qvæ animæ, nova in locis longius diſſitis exploraturæ, miſſio-

h) L. c. *i*) L. cit. p. 134.
k) Not. ad Thorſteins-Sagam p. 95. 96.

ne contineri olim credebatur, ſolis incantatoribus propria, cujus & ſpecimen *Landuama-Saga l*), unum ex multis, exhibet. Deniqve & multi tunc temporis ſomniorum interpretationi operam dedere, qvin eam palam profeſſi ſunt; qvalem Ingigerdem Sveciæ Reginam *Gautreks-Saga m*) commendat; Thorleifum Sapientem *Bartholinus n*); Raudulfum *Wormius o*); & Sigurdum Raudi filium *Olái Sancti vita:* Is enim ab hoc Rege interrogatus: qvid maxime calleret? *ſomniorum interpretationem, horarumqve notationem, ſi vel aſtra non apparerent*, eſt profeſſus "at hann kann drauma at ſkilia ok deila dægrafar þótt eigi ſæi himintungl".

l) p. 90. *m*) Cap. 18. & 23.
n) Loc. cit. *o*) L. cit. p. 133.

tungl". Ita etiam Stenonem Hlidensem laudat *Thorsteini Sidu-Halli filii Vita* qvod *melius aliis somnia explicaret* ("hann red betr drauma enn adrir menn"), unde & a multis ea de causa consulebatur.

§. 3. Nonnulli qvidem veterum hanc somnia interpretandi facultatem artibus annumerant disciplina comparatis, qvas Iþrottir vocavere. Verius autem sagacis acutiqve ingenii indicium habetur & effectus. Id & plurimis veterum placuisse videtur. Etenim sapientissimus qvisqve non tantum vulgo putabatur somniis explicandis aptissimus; sed illi etiam, qvos ob somniorum intelligentiam antiqvitas maxime commendavit, ipsi sunt, qvos cætera constat sapientia ex-

celluisse. Indicio sint ex *Olafs-Saga a)* Thyra Haraldi Holsatiæ comitis filia; ex *Landnama-Saga b)* & *Finnboga-Saga c)* Drauma-Finnus; ex *Laxdæla-Saga* Gestus Oddleifi filius, qvi in somnio Gudrunæ Osvifi filiæ de qvadruplici matrimonio explicando, sapientiæ, qva singulari pollebat, novum dedisse experimentum narratur. His consentiens *Niala d)* Flosium tradit somnium suum explicandum proposuisse Ketillo de Marca, nulla utiqve alia de causa, qvam qvod hunc plerisqve sociorum prudentiorem nosset. Qvid, ipsa *Drauma-Jons-Saga* s. Johannis somniatoris Vita, qvamvis cætera

a) Ed. Isl. Lib. 1. p. 72.
b) p. 120. c) Cap. 7.
d) Cap. 113.

cætera futilis, recte tamen hoc ſenſu refert, Johannem, qvominus artem ſomnia vel habendi vel interpretandi Henricum Comitem doceret, eo ſe excuſaſſe, *qvod id facultatis natura non arte acqviſiviſſet*; modo ne negetur, hanc, ut omnem inſitam animæ vim, attentione, experientia, & exercitio promoveri creditam eſſe. Duplex autem hujus exercitii vel artis ſomnia interpretandi principium veteribus uſu venit. Primum erat obſervatio conſtans atqve diuturna, caſuum, qvod ajunt, ſimilium expectatione conſtans. Ut enim ipſa ſomniorum ſuperſtitio, magna certe ex parte, primam ſui originem ſimilitudini debet, qvam cum ſomniis antegreſſis ſubſeqventes eventus interdum habere viſi ſunt;

ita iidem vel ſimiles eventus vel caſus, eadem vel ſimilia ſomnia ſeqvi ſæpius obſervati, artem tandem effecerunt ſomnia ex uſu interpretandi, *Ciceroni*, in Libris de divinatione, & aliis notatam. Alterum hujus interpretationis principium erat, vel verborum vel ſimulacrorum, qvibus ſomnium qvodvis continebatur, convenientia cum certis qvibusdam rebus, qvas ideo pronunciarunt illis ſignificari; conjectura veritatem magis vel minus imitante, ut major erat vel minor ſimilitudo ipſa, & interpretis ingenium magis minusve acutum & felix, inprimis in dijudicando ſomniantis ſtatu ſomniiqve circumſtantiis. Multa hujus interpretationis ſpecimina præbet comparatio partium corporis humani cum partibus mundi

a *Car-*

a *Cardano e*) eo fine inſtituta, ut ejus regulas monſtraret. Nova ejusdem exempla exhibet *Traité de l'opinion f*) ex philoſophis & hiſtoricis Græcis & Romanis maxime petita. In hiſtoria ſeptentrionali plurima etiam hujus generis ſomnia proſtant; Sed ſat eſt pauca memorare, unum ex *Olafs-Saga g*) Aſtridæ, qvæ armillam, qvam ſomniaverat, rem qvippe pretioſam, & amatam judicaſſe fertur maritum ſignificare; alterum ex *Thorſteini Halli de Sida filii Vita*, cujus explicatio, ſola vocum *biarg* & *biaurg*, qvarum prior *rupem*, poſterior *auxilium* ſignificat, ſimilitudine nixa in hunc ſenſum narratur:

 "þar

e) Syneſ. ſomn. Lib. 1. c. 14.

f) Edit. 2. Paris 1735. T. II. p. m. 580-86.

g) Edit. Isl. L. 1. p. 34.

"þar ſem þer ſtódot a *biargi*, þa munot þer alla ydar *biaurg* undir fótum troda" i e. *cum rupi vos inſiſtere ſomniaretis, omne, quod auxilio vobis eſſe poterit, conculcabitis.* His duo inprimis jungi poſſunt Sverreri Norvegiæ Regis ſomnia, *h*) & prius qvidem, qvo hominem ſomniavit *manus ſuas chrismate perfundentem*, his verbis adjectis: *manus tuæ ſanctificentur & contra hoſtes tuos corroborentur.* Poſterius vero, idqve multo luculentius, eſt, qvo Sverrerus ante prælium Nidaroſienſe cum Erlingo Comite ejusqve filio Magno Rege commiſſum, in qvo Erlingus occubuit, virum ſomniaſſe narratur, qvi eum ad focum vel ignem, qvo homo qvidam torrebatur, adduxit, tandemqve coëgit, ut

totum

h) *Sverris-Saga.*

totum affi illius truncum membraqve depafceretur, caput vero comedere vetuit. Id enim Sverrerus ita interpretatus traditur: "at madr fá á *elldinum* lá mundi vera Erlingr Jarl, er þá tók at *elldaz*, ok mundi hann eyda at meftum lut medr fino lidi lendum mönnum ok hirdmönnum, enn *Kongr* mundi undan komaz, þar er óetit var *höfodit* 1 c. *Hominem, qui in* igne *jacuit, Erlingum Comitem fignificaturum effe, qui & tunc* fenefcere *cæpit, feqve maximam optimatum Magni Regis & aulicorum partem fuis copiis deleturum, ipfum vero* Regem *evafurum effe, cum* caput *comedere non licuiffet;* ifta qvippe explicatio triplicem hujus generis fimilitudinem 1) Vocum *elldr*, ignis, vel *elldaz*, ignefcere, & *elldaz* fenefcere

nescere, 2) carnis membrorumve principis, & optimatum, 3) Regis & capitis, aperte promit.

§. 4. Ipsa somniandi vel somniorum genera maxime insignia ex veteribus *Macrobius a)* percensuit, ex recentioribus ante alios *Peucerus b)*. Tangunt & ea pleriqve antiqvitatum nostrarum scriptores pro suo qvisqve instituto; meum autem hic erit veteris circa ea septentrionalium Philosophiæ & Theologiæ aliqvot ducere lineas. Præcipuas, qvæ afferri solent somniorum caussas ex veterum Græcorum & Romanorum mente indi-

a) In somn. Scip. Lib. 1. c. 3.

b) De generibus divinationum ed. Wechel 1607. p. 421-430.

diſtincte excerpſit *Verelius c*), plurimas vero omnium ætatum *Corn. Agrippa* collegit *d*); omnes autem vel *internæ dormienti* ſunt vel *extra eum* poſitæ; vel *corporeæ*, vel *ſpirituales*, vel ex utrisqve *mixtæ*. Mihi primo loco ſit *ſiderum, lunæ inprimis, actio in dormientis animam*. Hæc vel corporea fingi poteſt, vel ſpiritualis. De ſpirituali infra dicam. Corporea vero abſolvi paucis poteſt; ſufficere enim refellendæ potuiſſent ſolæ illæ rationes, qvibus jam dudum *Cicero e*) notationem vitæ, ex natali die cœliqve habitu ductam, ivit deſtructum. Aſt recentiorum permulti novas etiam addidere, qvæ ut

c) Not. in Hervarar-Sagam p. 73-74.
d) De Vanitate ſcient. c. 39.
e) De divinat. L. II.

ut omnia in univerſum Chaldæorum monſtra, ita hanc ſpeciatim ſomniorum cauſam ſtatu plane noverunt. Sed mitto iſta. Caput rei eſt arctam adeo ſiderum cum animabus cognationem veteres ſeptentrionis Theologos non conſtituiſſe, ut notabilis ex illis ad dormientes contagio aſſumi poſſet.

§. 5. Venio igitur ad ſecundam ſomniorum cauſam, nempe *locorum vim;* Hæc non ſolum *naturalis* habita eſt, ſed etiam *divina;* atqve ita ad cauſas pertinet ex ſpiritualibus & corporeis mixtas. Spiritualem ſimul vel divinam agnoviſſe conſtat qvotqvot ex Poſidonii ſententia, a *Cicerone* a) relata, crediderunt, *plenum eſſe aërem*

a) De divin Lib. I.

aërem immortalium animorum, in qvibus tanqvam insignitæ notæ veritatis apparerent, vel *omnia completa & referta esse æterno sensu & mente divina,* vel deniqve, *consentientium humanis animorum multitudine completum esse mundum, mentisqve humanæ conjunctione* (in somnio) *cum his externis mentibus cerni qvæ sint futura.* Plures horum memorat *Traité de l'opinion b)*; plurimorum autem, qvæ hujus loci est, philosophia eo redit, involutas aëre spirituales naturas, dum hic a dormiente spirando reciprocatur, cum anima communicari, eoqve hanc expressam in illis futurorum cognitionem haurire; atqve inde diversa pro locorum conditione somnia gigni, cum scilicet aër, pro vario lo-

b) Ed. cit. 1735. T. II. p. 83.

locorum habitu diſſimilis diverſi etiam generis ſpiritus, ſibi nempe convenientes, poſtulare creditus ſit.

§. 6. Num hanc majores noſtri agnoverint ſomniorum cauſam idoneo teſte deſtitutus non facile dixerim. Affirmare tamen audeo veteri eorum Theologiæ ſatis eſſe convenientem. Hæc enim primo ſingulis mundi corporei motibus, mentes animatas, licet inferioris ordinis, vel duces adjungit vel adminiſtras; plurimis id Edda docente exemplis, ex qvibus vel ſola noctis & diei *a*), ſolis & lunæ *b*), ventorum *c*), æſtatis deniqve & hiemis *d*) hic notaſſe ſat eſt. Deinde

&

a) Fab. 8. *b*) Fab. 9 & 10.
c) Fab. 16. *d*) Fab. 17.

& eadem majorum Theologia non tantum vitam telluri adſcribit, imo eam pro animali habet *e*), ſed &, qvod huc inprimis ſpectat, univerſam mundi materiem divino qvodam intus agitari tradit afflatu, ſpirituve ut ita dicam plaſtico, qvi ſuapte vi primævum chaos ad motum concitaverit, atqve inde evolverit elementa rerum, prius inter ſe confuſa; qvin ipſum illud genus produxerit Deorum, ſi dicere fas ſit, materialium, qvi condendis regendisqve, qvas videmus univerſi partibus proximi præeſſent. Eorum autem ope, ut exiſtere poſſent, ſola indigere viſa ſunt mundi noſtri corpora totalia, ho-

e) Prolog. Eddæ cap. 3. Speculum Regale p. 144.

horumqve compages, & mentes, qvas hæc ferrent, rationis participes, futuræ qvippe divini in eis regiminis ministræ, vitæ perennis sociæ; talia enim nisi Diis, qvibus subessent, edi, rerum ordo vetuit. Indicant hæc omnia, licet obscure, *Voluspá*, & qvæ hanc seqvitur, *Edda recentior*, inprimis in eis, qvæ de Ymeri gigantis *f*), de Audumblæ & Deorum *g*), de terræ cœliqve *h*), de hominum *i*), & de Dvergorum deniqve *k*) ortu narrat, pluribus infra memorandis. Clarissime vero monstrari singula possent, si locus hic esset cosmogoniam borealium, qvæ his involucris tegitur expli-

f) Fab. 4. g) Fab. 5.
h) Fab. 6. *i*) Fab. 7.
k) Fab. 13.

explicandi. His præstructis, dubium esse haud facile potest, qvin huic, qvæ omnia animaret, spirituali naturæ, (sive unam & eandem universis sive, suas & diversas singulis inesse crediderunt), aliqvam in somniis majores nostri tribuerint partem, licet qvalis ea qvantaqve fuerit non exprimatur. Credo id eo fidentius, cum certissimum sit, infraqvæ probandum, eorum, qvæ Theologia nostra gentilis nominatim exhibuit, ne unum qvidem dari spirituum genus, cui historiæ veteres somnia non adscribunt.

§. 7. Locorum vis, qvatenus *corporea* est, anhelitu constat sulphureo, bituminoso, arsenicali, opiato, narco-

tico, vel id genus alio, qvi ab homine tali in loco dormiente hauſtus, enthuſiaſmum, qvem vocant, animæ induceret, & ſomnia efficeret ſolitis diviniora. Tangit hanc cauſam præter alios veterum *Cicero*, de oraculo Delphico agens *a*) his Verbis: *Dii qvidem ipſi ſe nobis non offerunt, vim autem ſuam longe lateqve diffundunt, qvam cum terræ cavernis includunt, tum hominum naturis implicant. Nam terræ vis Pythiam Delphis incitabat — Qvid enim? non videmus qvam ſint varia terrarum genera, ex qvibus & mortifera qvædam pars eſt — & ſunt partes agrorum aliæ peſtilentes, aliæ ſalubres, aliæ qvæ acuta ingenia gignant, aliæ qvæ retuſa — Credo anhelitus qvosdam*

a) De divin. Lib. I.

dam fuisse terrarum, qvibus inflatæ mentes oracula funderent. De alienis, qvæ hæc continent, non dicam; de re autem, qvæ hic agitur, adstipulantur veterum multi, ab *Antonio van Dale* in Dissert. de Oraculis *b*) larga manu producti, habuisse plurima antiqvorum Oracula jam halitus furoris divini efficaces, jam aqvas, venas, fontes, vel flumina divinatoria, qvibus affectæ mentes sacro percellerentur futurorum sensu; unde etiam oracula antris cavernisqve maxime superstrui solita constat *c*). Non multum me ferit, qvod explodat *Cicero d*) divi-

b) p. 63. 67. 80. 81. 86. 115. 116. 234 242.

c) Confer *Traité de l' Opinion* T. IV. p. 138. seqv. *d*) De divin. Lib. II.

divinationem hac ex cauſa ductam. Nec mea intereſt, utrum ſolis hiſce terrarum exhalationibus oracula gentilium adſcribi debeant; an ſolis, ut laudatus *Dalæus* contendit, antiſtitum & ſacerdotum fraudibus; an deniqve his adjungendæ etiam ſint mali genii ſ. diaboli artes, qvod poſt antiqvos Eccleſiæ Chriſtianæ ſcriptores *Voſſius e)*, *Borrichius f)*, *Traité de l' opinion g)*, & plurimi probarunt. Satis mihi eſt, veterum multos credidiſſe, exhalationes, qvales jam deſcripſi, mentem extra ſe rapere, ſomnumqve & inſomnia excitare poſſe

e) De orig. Idol. Lib. I. c. 6. ed. m. fol. 1668. p. 22.

f) De Oraculis ant. Diſſ. Acad. T. I. pag. 443. ſeqv.

g) Tom. II. p. 99. & 467.

poſſe. Ipſe id admittere tenetur *Dalœus*, thymiamatibus ejusdem naturæ; arte factis, eosdem effectus recte tribuens *h*). Qvin teſtis adeſt omni major exceptione *Borrichius i*), cui Sibyllæ Cumanæ cubiculum intranti *perceptus eſt manifeſtiſſimus ex halitibus ſulphuris calor, ad vertiginem diſponens, unde, velut ex ſulphureo vini ſpiritu ebrietas & alienatio mentis naſci poſſet.* Exhalationum autem in ſomnia vim, majoribus noſtris creditam, ſatis ſuperqve docere poſſunt vel ſoli ſomniorum apud nos captatores (§. 2.), diverſo licet inſtituto, imo fere contrario. Illi enim, qvibus, hoc fine, haram eligere cubile placuit, qvid

h) L. cit. p. 246 & 272.

i) De furore poetico l. c. p. 260.

qvæſo aliud proprie & proxime reſpicerent, qvam exhalationes loci, ſomniis excitandis aptas, ſive ex ipſis porcorum corporibus, anhelitu, excrementis, ſive ex omnibus ſimul? Qvin eſto & hic adjunxerint entium qvorundam ſpiritualium opem, qvamvis diſertis id veterum teſtimoniis non conſtet, nihilo tamen minus ipſæ illæ exhalationes vel ut vehicula admittendæ erunt vel inſtrumenta; nec omnino obſtat, qvod ſues qvadam ex parte ſacra noſtris animalia fuerint; id enim rationem phyſicam ſi non ſupponit, nec ſtatim excludit. Qvi contra noſtratium domos, cubilia, lectos, veſtesqve novas ſomniis captandis adhibuerunt, vel eadem ratio- exhalationes qvæſiviſſe videntur recen-

tes

tes & puras, vel oppofita, impuras, fenfumve fœtore admixto turbaturas declinare voluiffe; fimili fere confilio, qvo Apollo Daphnæus, a Juliano confultus, Theodoreto apud *Dalæum* k) referente, mortuos qvosdam in proximo humatos in pedimento fibi effe obtendit, ideoqve eos primum auferre juffit, cum nihil dicere poffet, nifi loco purgato. Imo aliqva hic femper exhalationum habenda erit ratio, fi vel fpiritus in partes vocaveris; hos enim illis vehementer affici, & crediderunt veteres, & hodierna qvorundam ex plebe Islandica loqvitur fuperftitio, bituminis Islandici, qvod gagatem nigrum vocant, fumo, qvi fuccini accenfi odorem fere refert, fugari

 fpe-

k) De Orac. p. 114.

ſpectra poſſe. Nec obſtat Thyræ conſilium, tres primas hiemis noctes ad ſomnia captanda eligendas, Gormoni ſvadentis; Erant enim ex illis, qvos *merkidaga*, ſive dies tempeſtatum criticos veteres habuerunt, ex qvibus de futura hiemis temperie conjectura capi ſolebat; hanc autem exhalationibus, cæliqve & ſoli aſpectu, his etiam adſcribendo, ſubnixam nemo facile dubitabit.

§. 8. Cauſæ ſomniorum dormienti *interne* proprie phyſicæ dici ſolent. Perſeqvitur has, prolixe qvidem, ſed non ſatis ordinate *Peucerus a)*. Aliæ autem earum *corpori*, aliæ vero *animæ* inhærent. Priores in compendio exhibet *Traité*

a) De gener. divin. p. 430-452.

Traité de l' opinion b) his verbis: *les causes physiques des songes se rapportent naturellement ou a des viandes plus ou moins difficiles à digérer, ou à des liqueurs plus ou moins spiritueuses; ou aux affections, qvi dominent dans l' esprit, & aux habitudes; on au mouvement fortuit des esprits, qvi ne laissent pas de continuer leur cours pendant le sommeil, qvoique d' une façon plus lente & plus tranqville.* De affectibus infra dicam, cum ad animam venero. Cibum autem & potum, ob elevatos inde in cerebrum vapores, humorumqve sive fluidorum in dormientis corpore motum, causis somniorum accensent plurimi, ante hunc auctorem, superiorum proxime seculorum eruditi; idqve præ

cete-

b) Tom. II. p. 576.

ceteris *Cardanus* c) prolixe expoſuit. Idem ante hos veteribus Græcis & Romanis agnitum plurima probant omnibus nota; unde ſolus mihi teſtis ſufficiat *Cicero* d), ex Pythagoræorum, Socratis, & Platonis ſententia tradens, multo plura hominibus evenire ſomnia, *ſi ad quietem integri irent, nunc autem onuſtos cibo & vino perturbata & confuſa cernere — Jubet igitur Plato ſic ad ſomnum proficiſci corporibus affectis, ut nihil ſit, quod errorem animis perturbationemqve afferat, ex quo etiam Pythagoricis interdictum ne faba veſcerentur, qvod habet inflammationem magnam is cibus, tranqvillitati mentis, qværenti vera, contra-*

c) Syneſ. ſomn. Lib. I. c. 2. & 3.
d) De divinat. Lib. I.

trariam. Certiſſimum etiam eſt conditionem corporis plurimum in ſomnia poſſe; idqve inprimis demonſtrant ſomnia morborum præſaga, qvæ ideo medica vocant, poſt veteres Græcorum medicos plurimis recentiorum, *Peucero e)*, *Traité de l' opinion f)* & aliis memorata, & nuper ab *Henrico Heiſterbergk g)* expoſita. Innuunt & id antiqvitates noſtræ, ebriorum, ægrotorum, aliorumqve id genus ſomniis, omnem futurorum, qvæ extra dormientem ſunt, notationem abjudicantes. Exemplis autem abſtineo, cum res hic agatur, qvam cui-

e) De divin. p. 451 & 459.

f) Tom. II. p. 582-83.

g) In Diſſ. inaug. de inſomniis ut ſigno in Medicina Præſ. Büchnero Halæ 1749.

cuilibet ex vulgo vel olim perſpectam fuiſſe, ipſa ejus evidentia facile ſvadet.

§. 9. Progredior igitur ad alteram cauſarum phyſicarum ſpeciem, qvæ ad *animam* proxime pertinet. Principalis hæc veteribus habebatur, nam & ideo maxime *Cicero* jam *naturale divinationis genus*, jam *Oraculum qvod arte caret*, ſomnia paſſim vocat; & *Macrobius a)* probari ex his vult animam a ſe ipſa moveri. Multi celebrantur modi, qvibus hanc anima exſerat in ſomnia vim. Præterea ideas innatas, qvamvis & eas nonnulli hic in cenſum vocaverint; eas enim, ſi ultra facultatem extendantur, nullas eſſe jamdudum eſt evictum; Expendendæ

a) In Somn. Scip. Lib. II. c. 16.

dæ autem paucis ſunt, generaliter qvidem *vigilantis cogitationes*, ſpeciatim vero *imaginatio*, *affectus*, *facultatum animæ*, qvæ vulgo agnoſcuntur, *ſuperiorum operationes*, deniqve & *vis futurorum præſaga*.

§. 10. *Cogitationum vigilantis* in futura ſomnia vim veteribus Græcis & Romanis creditam plurima docent, & in his verſus poëtæ antiqvi de Tarqvinii ſuperbi ſomnio apud *Ciceronem a*) relati:

Qvæ in vita uſurpant homines cogitant, curant, vident
Qvæqve ajunt vigilantes agitantqve, ea ſi cui in ſomno accidant,
Minus mirum eſt.

Ex-

a) De divin. Lib. I.

Exponit hanc fomniorum caufam inter alios *Ariftoteles*, in fuo de fomniis libello, eamqve folam amplectitur *Cicero b)* ut Philofopho dignam & conformem naturæ, lateqve explicat. Poffem plures addere, exemplisqve & rationibus eorum dicta ftabilire; fed his opus non eft; omnes enim, qvi recte judicant, cogitationum, qvas vigilantes habuerant, veftigia, vel in ipfis fuis fomniis, facillime agnofcent.

§. II. Primum, qvo ex antecedentibus cogitationibus fomnia oriuntur, modum *imaginatio* præftat, eumqve poft veteres, Scholafticos inprimis, omnes probant recentiores philofophi; eleganter

b) De divin. Lib. II.

ter autem præ ceteris explicat literatiſſimus *Formey* a). Primum illi ſomniorum principium eſt univerſalis illa operationum in anima & corpore communio; proximum lex, qvam vocant, imaginationis, omnibus notiſſima; occaſio vero ſenſatio qvæcunqve tam interna qvam externa, vel ante ſomnum, vel in ſomno exiſtens; ita ut omne ſomnium a ſenſatione qvadam incipiat, & per ſuccedentes ſibi invicem imaginationis actus continuetur, jamqve ſimplex fiat, jam compoſitum, prout hi vel eandem ſeqvuntur ſenſationum ſeriem, vel in diverſam transeunt. Qvo modo hæc ad experientiam exegerit, apud ipſum legi malo.

§. 12.

a) Melang. Philoſ. T. I. p. 157.

§. 12. Somniorum ex *affectibus* originem eadem, qvæ ex ſenſationibus, demonſtrant; affectus enim ſenſationes ſupponunt, easqve vehementiores, atqve ideo effectuum tanto majorum feraces. Amplectitur hoc ſenſu *Plato* apud *Ciceronem a)* eam partem animi, *in qva feritas qvædam ſit atqve agreſtis immanitas — exultare in ſomno ſolere, immoderateqve jactari.* Idem confirmant freqventiſſima, non tantum hominum, ſed etiam brutorum ſomnia, ex ideis, qvas familiares vocant, ſive genere vitæ nata, qvorum poſt multos *Traité de l' opinion b)* teſtimonia & exempla exhibet. Deniqve & ad affectus referri poſſunt ſomnia,

qvæ

a) De Div. Lib. I.

b) Tom. II. p. 577 · 80.

qvæ ex curis, anxietate vel perturbatione animi orta, qvietem illis turbare solent, qvi magnis rebus accinguntur, malumve grande metuunt vel bonum sperant. Inde fratris de se somnium *Cicero c*) explicat, plurimaqve eo colligi possent ex omnium gentium historia. Ex nostra speciminis loco sit Thorkilli Silfrii, provinciam Vatnsdalensem malis artibus sibi subjecturi, somnium, qvi rubro eqvo ferri, imo volitasse, per qvietem visus, accuratam satis dignitatis, qvam spe devoraverat, imaginem mente finxit *d*). Geminum huic est Thorsteini somnium in *Gunnlaugi Ormstungæ Vita e*)

c) De divin. L. II.
d) *Vatnsdæla-Saga* cap. 42.
e) Cap. 2.

descriptum; prolis enim futuræ, si filia foret, fortunam, & orituras de ejus nuptiis contentiones sollicite cogitanti occurrere commode per somnium potuerunt animalium rapacium species & pugnæ. Unum addo ex *Olafs - Saga f)* Karki, Harqvini Norvegiæ Comitis servi, somnium. Audiverat is, cum Comite una in specu latitans, Olaum Trygvinum insigne præmium Comitis occisori palam promittentem, moxqve somno correptus Trygvinum vidit, rubrum sibi torqvem ingentemqve eqvum dono dantem. Idqve ex simili causa: Ut enim præmium edici audivit, cædis animo conceptæ aperta adeo indicia dedit, ut id vel ipse comes haud obscure suspicaretur.

f) Ed. Isl. Lib. I. p. 236.

tur. Nihil igitur rei, qvam agitabat, convenientius ſomniare potuit, qvam torqves & eqvos, conſveta tunc temporis munificentiæ regalis pignora. Innumera præſto ſunt ejusdem farinæ, ſed plura non cumulo, cum ſimilis omnium ratio ſit. Somnia qvæ mores genusqve vitæ producunt, multa apud nos indicant, qvæ pugnas, cædes, ſangvinem vel ſimilia ſpirant, militare majorum ingenium ad amuſſim referentia. Tale fuit Angantiri, qvod & inde *Verelius* explicat *g*); talia & aliorum, *Reenhielmio h*) notata; pluraqve multo addi poſſent, ſi operæ id pretium eſſet. Hanc autem, qvam vel vigilantis cogitationes, vel habitus

g) Not. ad Hiſt. Hervoræ p. 75.

h) Ad Thorſteins-Sagam p. 41.

animi conſtituunt, ſomniorum cauſam veteribus ſeptentrionalibus perſpectam fuiſſe, ſatis indicat *Thorſteini Halli de Sida filii Vita*, ſomniorum interpretem, garrulo cuidam, explicationem ſomnii roganti, regerentem inducens: ogiörla kann ek drauma at ràda; enn ecki er þat ólíklegt, at þik dreymi margt, þvíat þù mælir margt i. e. *Eqvidem haud exacte explicare ſomnia poſſum; a vero tamen alienum non eſt multa te ſomniare, cum multa loqvaris.* Id & Halthorus in *Landnama-Saga i*) credidit, *non curanda* ratus *qvæ foeminæ ſomniarent*, qvaſi vel affectibus debita vel cogitationibus non bene ordinatis. Hanc autem illis ſomniorum originem detegere vel ſola potuerunt præ-

i) p. 18.

præteritorum, inprimis nuper actorum somnia, qvæ in se ipso qvilibet sæpissime experitur.

§. 13. Vidimus qvid inferioribus animæ facultatibus somnia debeant, idqve haud gravate omnes agnoscent. Qværi autem potest: Anne & hic aliqvid *superioribus* debeat tribui? Id sensisse videntur Socrates & Plato, apud *Ciceronem a*), & qvotqvot, post eos, putarunt, vera somnia effici & rationi congruentia, cum ea animi pars, qvæ rationis est & consilii, agitata & erecta esset, bonisqve præparata cogitationibus, tumqve hanc *elucere in somno, & vegetam se ad somniandum acremqve præbere.* Idem si-

a) De divin. Lib. I.

ne dubio amplexi videntur medii ævi philoſophi, qvotqvot *potentiam* animæ *intellectualem* ſomniis præfecerunt. Nec id, credo, omnino negari debet. Indubium eſt, animæ, cum ens ſimplex ſit, & per naturam vivum, nullum tribui poſſe ſomnum, nullam, dum dormimus, percipiendi ceſſationem; ceſſant tantum interea, in corpore, plurimi eorum motuum, qvi ad idearum, qvas materiales vocant, communicationem pertinent. Seqvitur inde dormientes eodem modo conſcios eſſe non poſſe operationum animæ in ſomno, qvo earum vigilantes conſcii ſumus; idqve ſi qvid video, docet, non ſufficere, qvam habere poſſumus, ſomniorum experientiam, ad excludendum omnino a ſomniis facul-

tatum animæ ſuperiorum uſum, ſed id, ſi fieri poſſit, ex ſola animæ ipſius natura evinci debere. Hæc autem contrarium potius ſvadere videtur. Duplicis generis eſſe poſſunt, qvæ animam per ſomnum exercent, repræſentationes: vel aliqvanto ante tempore productæ, ſed a diverſa perceptionum ſerie interceptæ, jam vero reductæ: vel ante ſomnum ultimæ, ultimisve aut proximæ, aut cum eis connexæ. Qvæ in ipſo ſomno excitantur, ad alterutrum horum vel utrumqve pertinent. Qvod ad prius attinet repræſentationum genus, nemo facile dubitat, qvin reducere anima per ſomnium qveat eas rerum ante perceptarum formas, qvæ ſenſitivæ ſunt, eo enim tota recidit ſomniorum origo, qvam

imaginationi adſcribunt. Qvid igitur, qvæſo, impedit, qvominus ea etiam reducere poſſit, qvæ intellectus & rationis ſunt, modo in ſomno ſimilis adſit ſenſus, his reducendis aptus? Fieri id poſſe duplex teſtatur experimentum. Prius exhibent præteritorum ſomnia, in qvibus perſæpe qvilibet paulo attentior facillime recognoſcet, qvos antea exercuit, facultatum ſuperiorum, reflexionis, intellectus, judicii, vel rationis, actus. Poſterius vigilantes proxime ſpectat; his enim, qvas olim forte habuere, abſtractæ cogitationes ſæpe reducuntur, præſentesqve ſiſtuntur, nihil ſimile data opera cogitantibus, ſed ne qvidem ſcientibus, vel indagere valentibus, qvæ redeundi occaſio fuerit. Eadem

dem cogitationum, vel abſtractarum, reductio de ſomniis etiam valebit, ſi animæ ipſi ſomnum non tribuas; eidem enim cauſæ idem utrinqve erit effectus; eo ſolum inter ſenſualia & abſtracta diſcrimine, qvod illa, utpote ſenſationibus propius adſtricta, vivaciora redire ſoleant, atqve ita ſæpius ſui conſcientiam excitare & recognoſci poſſint; hæc contra eo rarius, qvo longius a ſenſationibus abſunt; Et hæc ratio eſt, cur plurima omnino, qvæ vigilantes recordamur, præteritorum ſomnia ſenſationibus contineantur; eaqve ſatis monſtrat nullum inde contra abſtractorum ſomnia argumentum duci poſſe. Tranſeo igitur ad alterum repræſentationum vel cogitationum genus, eas nempe, qvæ vel ſo-

ſomno proximæ ſunt, vel cum his connexæ. Hic qvidem, cum obrepens ſomnus omnes nervos ſenſim remittat; experiri nemo plene poteſt, qvalis ſit, ab ultimo vigiliarum, ad primum ſomni perfecti momentum, tranſitus, qvalis in hoc velut confinio animæ ſtatus; ſvadet tamen animæ natura, alterum alteri reſpondere; atqve ideo animam qvamcunqve habuit cogitationem, vel ultimam, vel ceteris vivaciorem, etiam abſtractam, ſomno obducto perſeqvi poſſe, niſi fortiora obſint impedimenta. Docet id eorum experientia, qvi, qvidqvid velint, facile ſomniant, modo id, ſub ipſa ſomni initia, attentiori paulo volvant & revolvant mente. Confirmant & idem aliqva ex parte eorum ſomnia,

mnia, qvi res magnas vel agitant vel expectant: Anima scilicet adhuc in somno rem, qvæ agitur, ab omni parte versat, modosqve agendi, vel alia, qvæ in ea diversa sunt, intellectus ope seorsum sistit; post per rationem infert qvos singula vel omnia ducere eventus possunt; & deniqve cum his comparat simulacra, si qvæ simul objiciat imaginandi facultas. Dicas: sæpe ne existere qvidem somnia, aut ea non tangere qvæ vigilantes ultima cogitavimus. Respondeo: paucissima omnino tam vivide afficere animam, ut sui in somno excitare conscientiam qveant. Dicas: qvæ ea tangunt, non integra referre, non ordinata, sed in alias varie mutata formas. Ast omnia eorum qvi qvieti se

tra-

dunt, cogitata ita ordinata non ſunt, ut per ſomnum vel progredi in eadem ſerie, vel recurrere poſſint; animæ imperium in dormientis ſenſationes & inde pendentes imaginationis actus valde reſtrictum eſt, unde qvæ ex his diverſa interveniunt priorum cogitationum ſeriem facillime rumpunt vel alio vertunt. Dicas deniqve: ſomnia, qvæ vigilantium molimina vere præferunt, non intellectus vel rationis, ſed ſenſuum tantum & imaginationis operationes referre. Sed ne id qvidem rem conficit. Conſtat imaginationis actus, reliqvis animæ in ſomniando operationibus, multo clariores & fortiores eſſe ſolere; unde obſcuritatem his & oblivionem ſæpiſſime inducunt. Lubens igitur concedo ſimulacris illis, qvæ imaginatio

ginatio dormientibus offert, omnem deberi ſomniorum, dum dormimus, conſcientiam, omnem, cum expergiſcimur, memoriam; ipſaqve ſomnia, vel nulla obſervari, vel mutila confuſa & varia, vel contra, cogitatis exacte ſatis reſpondentia, qvemadmodum ſimulacra illa vel nimis debilia ſunt, vel imperfecta aut peregrinis mixta, vel earundem, qvas anima agitat, rerum ſeriem ſecuta. Magna certe eſt horum ſimulacrorum claritas in multis, qvæ relata legimus, veterum ſomniis: Tanta tamen non eſt, ut omnis ſomniorum exiſtentia ſenſationibus tantum & imaginationi ideo tribui debeat; plurima enim haud obſcure indicant facultatum animæ ſuperiorum operationes etiam ſæpe adeſſe. Vivacem

animæ

animæ naturam ſupra tetigi. Hic addo: conſcientiam operationum animæ, qvæ in nobis eſt, haud pari cum ipſis operationibus paſſu ambulare; qvilibet enim meditando aſſvetus facile expertus eſt, animam, dum vigilamus, intellectu, judicio, ratione aliisqve ſui facultatibus ſæpius uti, nobis non conſciis, unde identidem improviſæ prodeunt notiones, judicia vel ratiocinia, qvorum nec formationem nec principia tunc cogitavimus. Harum igitur operationum in ſomnia influxum conſcientiæ defectus refellere neqvit. Verum ne hic qvidem de omnibus valet. Nonnulla enim ſomnia, licet ſolis conſtent imaginibus, manifeſta tamen, vel in his ipſis, oſtendunt abſtractarum cogitationum veſtigia;

alia

alia abſtracta ſomniantis judicia vel ratiocinia integra exhibent, a ſimulacris, qvibus ſomnium cætera continetur, diſtincta; rara qvidem hæc; ſed qvæ facultatum etiam ſuperiorum in ſomnia vim probant. Hanc eruditorum qvorundam, philoſophorum inprimis & mathematicorum ſtabiliunt exempla, qvorum molimina ſomnium jam promovit, jam perfecit; talem Avicennam *Traite de l' opinion b)* nominat; alii alios. At qvidqvid horum ſtatuas, dubio tamen caret; veteres ſeptentrionales, facultatum animæ, qvas hodie ſuperiores vocamus, intellectus præſertim & rationis, opus nonnullis in ſomniis agnoviſſe; patebit id ex

b) Tom. II. p. 579.

ex iis qvæ ad ultimam eorum caufam, animæ internam, mox dicenda funt.

§. 14. *Vis* hæc eft *futurorum præfaga* five facultas præfagiendi. Duplex veteribus diftingvitur hujus præfenfionis genus. Prius circa effectus verfatur, qvi, per cognitam nobis rerum naturam vel certo, vel probabiliter faltem determinati, prævideri facile qveunt, modo eis conveniens adhibeatur rationis humanæ ufus. Hoc phyficorum, Medicorum, Aftronomorum, politicorum, imo nautarum etiam & agricolarum eft; eoqve omnia illa pertinent, qvæ *Cicero* a) *providentium*, *prudentium* vel *peritorum* auguria vocat, & divinis opponit,

a) De divin. Lib. II.

ponit, qvibus fortuita, qvæ nos contingentia vocamus, indicantur. Vulgatissimum est hoc præsensionis genus, & ad mentem recentiorum philosophorum ex natura animæ, inprimis ex ratione, recte evolvitur, qvemadmodum etiam Græci veteres apud *Ciceronem b*) eundem ei, qvem rationi & conjecturæ, modum statuunt, qvatenus sc. *res futuræ in caussis conditæ sunt*. Non igitur opus est plura de eo dicere *c*).

§. 15. Posterius præsensionis genus ad naturam Deorum refertur, mentisqve humanæ divinitate continetur.

 Opi-

b) L. c. Lib. I.

c) Conf. tamen *Traité de l' Opinion* T. IV. p. 138. seq.

Opinati ſcilicet ante alios ſunt, *Jablonſkio* interprete *a*), vetuſtiſſimi Ægyptii *animas humanas, a mente æterna, qvæ ignis illis erat æthereus, avulſas, in terram delabi inqve hunc* ſui fontem *iterum refundi.* Hæc doctrina non ſolum ad orientales, ſed & ad Græcos, ſpeciatim orphicos, Pythagoræos, Platonicos & Stoicos *b*) propagata eſt, multaqve ejus, qvamvis interdum haud parum mutatæ, mentio eſt in horum philoſophorum ſcriptis. Ex Latinis eam, ante alios, ex Platonicorum mente proponit *Cicero* in Somnio Scipionis, latius vero explicat *Macrobius c*) eo ſenſu, qvod animæ hu-

a) Panth. Ægypt. P. I. p. 50.

b) Ib. p. 38. 41. 93. ſeq.

c) In Somn. Scipionis paſſim, inprimis L. I. cap. 14.

humanæ, remote, qvod ajunt, ex anima mundi, proxime ex corporum cœlestium animabus ortæ eo iterum redeant *d*). Ex hac vero de animarum nostrarum origine doctrina Stoici, Platonici, aliiqvi veterum a *Cicerone e*) citati, præsensionem animæ in somniis, qvam divinam vocant, derivant. Singula adscribere nimis prolixum esset; universa autem huc fere conveniunt: animum humanum, ex divino animo ductum, cum Deorum teneatur cognatione, vigere in somniis, cumqve somno sevocatus sit a societate & contagione corporis, & liber a curarum sensuumqve impedi-

d) Conf. & *Cudworthi* Syst. Intellectuale a *Moshemio* exornatum.

e) De divin. Lib. I.

mentis, omnia, qvæ in rerum natura ſunt, videre, meminiſſe præteritorum, præſentia cernere, prævidere futura; utqve Deorum animi ſine ſenſibus ſentiunt, ita hominum animos, cum ſomno ſoluti corpore vacant, per ſe libere incitatos, eamqve inprimis animæ partem, qvæ rationis eſt & intelligentiæ particeps, prælibare qvaſi interea futuræ poſt mortem libertatis ſtatum, inqve divinam ſui naturam tamdiu ſecedere vel regredi, atqve ideo Oraculum, qvod ei ineſt, fundere, divinitatem exercere, verbo, naturaliter divinare.

§. 16. Qvid veri his inſit non disqviro. Patet autem omnes, qvi facultatum ſuperiorum operationes, etiam

in

in somniis, mecum admittunt, admittere etiam debere, præsensiones, qvæ ratione continentur (§. 14.), non tantum haberi in somno posse, sed & eo facile promoveri, si animus, remota, qvæ vigilantem distrahit, diversarum sensationum & cogitationum multitudine, unam præ ceteris longiori versare attentione possit; tum enim, perspecto causarum & effectuum nexu, conclusiones facillime inveniet vigilanti antea non animadversas. Alterum autem præsensionis genus plus utiqve dubii habet. Novi esse Theologos, etiam ex nostra ecclesia, qvi divinandi vim animabus humanis ita tribuunt, ut hanc reliqviis annumerent imaginis divinæ, divinam futurorum præscientiam imitantis.

Id tamen lubens mitto, cum nec ſcriptura ſacra, nec hactenus cognita pſychologiæ principia doceant, poſſe animam humanam per ſe, id eſt interna ſolum vi, cognitionem acqvirere rerum cum rebus antea perceptis vel cogitatis plane non connexarum. Dubito tantum, eos, qvi hanc animæ vim adſcribunt, falſi plene convinci poſſe. Libenter enim omnes *Hollmanno* concedent, animam humanam, in ſomno & ſomniis, ſibi ipſi vel maxime ignotam eſſe a). Exſtiterunt etiam homines, qvorum & vigilantium & dormientium præſenſiones, ex cognitis animæ facultatibus haud explicabiles, vel philoſophi admiratione dignæ habitæ ſunt. Accedunt

a) Diſſ. de hac re p. 90. ed. Gott. 1750.

dunt morientium præſagia; nam qvamvis horum plurima vel cerebri in moriente vitio, vel audientium ſuperſtitioni rectiſſime adſcripſerit *Traité de l' opinion b)*; nonnulla tamen eorum utiqve indicant, veteres haud omni veri ſpecie deſtitutos, & naturalem divinandi vim animabus tribuiſſe, & eas, morte appropinqvante, ſolito diviniores fieri credidiſſe.

§. 17. Hæc autem exterorum philoſophorum de animæ in ſomniis operationibus cogitata latius paulo expoſui, qvod eis ſimillima viſa mihi ſit majorum noſtrorum de iisdem philoſophia, qvatenus ea hodie ex paucis illis, qvæ ſu-

b) T. IV. p. 159.

perſunt, laciniis cognoſci poteſt. Præſagia eorum meteorologica jamdudum probavi *a*), novaqve horum exempla præbent Bardus in *Landnama-Saga* *b*) & *Bardar-Saga Snæfels-Aſs* *c*) *qvi ventos mediterraneos maritimis mitiores expertus, conjecturam capiebat, meliorem ab auſtrali montium latere regionem eſſe, & habitationi aptiorem;* nec non Ulfarus in *Eyrbyggia-Saga*, qvi qvalibet data occaſione luculenta maxime experimenta dedit, *ſe futuram äeris temperiem longe melius aliis prævidere.* Id præſagii ſuggeſſit diuturna obſervatio, cujus neceſſitatem rationes œconomicæ impoſuere, tantumqve promovit, ut facillimum prorſus & vulgare

a) Disqviſ. de peregrin. Isl. p. 32.
b) p. 119. *c*) Ed. Isl. c. 3. p. 165.

gare judicaverit *Speculi Regalis* auctor d) *unius vel duorum dierum temperiem prævidere;* multiqve id adhuc servant Norvegiæ & Islandiæ rustici, futurarum proxime tempestatum peritissimi. Idem & de ceteris singulatim valet qvæ prudentum auguria supra (§. 14.) vocavi: Hæc boreales nostros agnovisse, & qvædam eis tribuisse somnia, tam eorum philosophia svadet, qvatenus in cogitationibus vigilantis somniorum originem ponit (§. 12.), qvam nonnulla indicant hujus generis somnia, ab historicis antiqvis relata, qvæ, qvia nihil aliud memoratu dignum continent, non transscribo.

§. 18.

d) p. 222.

§. 18. *Vi præsagiendi*, qvæ *divina* habetur, multos apud nos gaudere olim creditos, Auduræ opulentæ *a*), Gesti oddleisi filii *b*), Thorsteini Raudnesi *c*), Thorhalli *d*), Olafi Geyrstadensis *e*), multisqve aliorum exemplis docemur, in qvibus tamen magos non numeramus. Idem *Bartholinus* probavit *f*), eoqve ipso vim istam præsagiendi veteribus septentrionalibus fuisse notam. Alia eam facultatibus animæ, qvas hodie intellectuales vocamus, annumeratam fuisse docent, & indicium ha-

a) *Landnama-Saga* p. 56 57.
b) *Ib.* p. 73. *c*) *Ib.* p. 157.
d) *Olafs-Saga* ed. Isl. L. II. p. 211.
e) Torf. hist. Norv. T. I. p. 401 402.
f) Ant. Dan. p. 681 - 83.

haberi ſolitam animæ, præſtantioribus ceteris dotibus inſtructæ. Hoc aperte ſenſu *Volſunga - Saga g*), inſignem Sigurdi Fafnericidæ ſapientiam prædicatura, conſulto addit, tantam fuiſſe, *ut & futura præſciret*; Eodem & *Grettis - Saga h*) Gretterum commendat, qvod *pleraqve præviderer, licet, fatis obſtantibus, prævertere non poſſet*. Nec plures nomino, cum exempla & teſtimonia ubiqve occurrant, clariſſime indicantia, creditum noſtris fuiſſe, neminem vere ſapientem eſſe, niſi etiam divinus eſſet; eodem plane modo, qvo *Cicerone i*) referente, Stoici crediderunt, neminem, *niſi*

g) Ed. Biorneri c. 31. p. 56.

h) Ed. Isl. c. 88. p. 155.

i) De divin. L. II.

nisi sapientem, divinum esse posse. Idem etiam ipsa apud nos vocum notatio docet, *Resenio* jamtum *k*), & ante eum *Olafs-Sagæ l*) observata; sapiens enim *spakr* dicitur, vel a *spá*, qvod divinationem, vel a Verbo *at spá*, qvod divinare notat, qvasi divinum dixeris. Inde autem, *Cicerone* etiam judice *m*), facillime explicatur Regum qvorundam vel principum apud nos sollicitudo, qvod somniis destituerentur; *ut enim sapere, sic divinare, Regale ducebant.* Id divini hujus præsagii, & hoc iterum superiorum animæ facultatum, etiam in somniis, usum majoribus nostris agnitum probat. Idem-

k) In Proleg. Eddæ Lit. h.
l) Ed. Isl. L. II. p. 212.
m) De divin. L. I.

Idemqve eorum exempla confirmant, qvos, *quod memorabilia multa & clara ſomnia habere ſolerent* (*drauma-mikler* & *berdreymir* noſtra lingva vocantur), antiqvitates laudant, ut excellentiore ceteris ingenio præditos *n*). Qvodnam vero principium fuerit, unde boreales noſtri hanc animæ vim proxime deduxerint, dubio non caret: Forte ex natura Odini, ex qvo proxima animæ humanæ origo; is enim omnia pernovit fata: Forte ex ſimili cum Stoicis & Platonicis ratiocinio (§. 15.), a cœleſti animæ cognatione ducto. Magis hoc mihi probatur; multumqve id confirmat notabilis illa philoſophiæ borealis cum Pythagorica, Stoi-

ca

n) Conf. Gisla ſaga Surs-ſonar ed. Isl. cap. 22. p. 157.

ca & Platonica similitudo, qve vel leviter inspicienti ubiqve patet; & proxime qvidem opino de ignea animæ natura, ejusqve tandem in cœlos reditu, recte, ut puto, nostris etiam a *Bartholino* o) asserta, inprimis cum doctissimus *Egerhardus Olavius*, qvi omnem borealium Theologiam gentilem data opera excussit, his non repugnet p). Sed hæc pluribus hic perseqvi nolo, cum ad amussim exigi neqveant, nisi tota nostratium de rerum origine, spiritibus, & animabus, doctrina plene explicata.

§. 19.

o) Ant. Dan. p. 274 & p. 294.

p) Vid. Diss. de ortu superst. circa ignem subterran. Islandia Hafniæ edi cœpta 1751.

§. 19. Venio igitur ad eam somniorum caussam, qvæ in *commercio* ponitur *entium spiritualium cum dormientis anima.* Hoc si non ad ipsam spectat præsagiendi vim, saltem ad causas hujus occasionales, si ita loqvi liceat. Latissime autem patet. Ut enim ipsa scriptura sacra qvasdam memoravit vel Dei vel angelorum apparitiones dormientibus factas, ita omnis historia profana similium appariționum plena est. Nec forte negari omnino poterit, appariționum in somno vere divinarum notitia, ab ipsis mundi incunabulis per manus tradita, una causarum fuerit, cur eadem fere per totum orbem olim fuisse deprehendatur somniorum veneratio, qvam ignoratio tandem in superstitionem vertit. Sed

F qvid-

qvidqvid hujus rei ſit, certiſſimum utiqve eſt, omnes fere populos agnoviſſe, ſomnia bene multa entium ſpiritualium commercio deberi. Judæi & Chriſtiani veteres, qvos Patres vocamus, vel Deum talium auctorem habuerunt, vel angelos, bonos illos vel malos ut res ferre videbatur, idqve recentiorum multi vel in hunc diem tenent. Ethnici vel in genere dæmonibus talia tribuerunt, vel iis ſpeciatim Diis, qvos qvisqve coluit; hos enim, præter alia, noctu inprimis in terris verſari creditos ex *Statio* & *Qvintiliano Grævius* probavit *n*).

§. 20. Boreales noſtri ſuos etiam Deos hic in ſcenam producunt, qvasqve

n) Lect. Heſiod. cap. 15.

qve cetera agnovere ſpirituales naturas. Duplex autem hoc ſpirituum cum dormientibus commercium concipi poteſt, *ſenſibile* vel *inſenſibile;* aut enim dormiens ſpritum ſomnium excitantem ſeorſum cogitat, & a ſe ipſo & a ſomnio diverſum, aut non. De ſomniis poſterioris generis nihil dico, cum hæc exacte cognoſci neqveant, & a reliqvis ſomniorum ſpeciebus diſtingvi. Priorum vero agmen ducunt, qvæ *Deorum*, qvi *majorum gentium* noſtris habebantur, apparitionibus adſcribuntur. Tale perhibetur Erici victorioſi Reciæ Regis, ante prælium cum Styrbiorno commiſſum, cum Odinus ei appareret, & arundinem traderet victoriæ inſigne, qva hoſtem & ſocios Valhallæ devoveret *a*). Tale

a) *Páttr Styrbiarnar ſterka.*

etiam Svenonis *b*), qvem Thorus per fomnium rogaffe traditur, ut fe periculo eriperet, qvod Finnus frater fano meditabatur. Simile de omnibus fomniis, qvæ ceteris majorum gentium Diis tribuuntur, judicium eft, unde hæc non transfcribo, cum nihil doceant notatu dignum, præter Deorum nomina, qvibus hæc vel illa apparitio adfcribitur, omnibus cognita. Aft & aliud hic fubeft, qvod notari inprimis meretur. Erant, ex veterum borealium mente, omnia illa fomnia, qvæ Deos auctores habere credebant, id præ ceteris operationum genus, qvo fingularem fuam circa humana providentiam declarare vel exercere Dii putabantur; immediatam in

b) Olafs-Saga ed. Isl. Lib. II. p. 179.

in ſpecie, ſi ita loqvi fas ſit, ſomnia eis expreſſiſſe videntur a Diis ſuperioribus profecta; mediatam vero, qvæ ab inferioribus, qvos ſuperiorum vel vice vel imperio, certis rebus, certisve mundi partibus proximos præeſſe moderatores autumabant. Borealium igitur de divinis ſomniis doctrina ex doctrina eorum de regimine mundi explicari debet, magnamqve huic viciſſim affundit lucem.

§. 21. Plurima eorum ſomniorum, qvæ veteres noſtratium hiſtorici apparitionibus divinis tribuunt, ad *Deos* pertinent *inferioris ordinis*; idqve jure meritoqve. Aperte enim docent Theologiæ noſtræ gentilis monumenta, Diis, qvi ſupremi vel ſuperiores habebantur, ſo-

lum proprie tribui regendi mundi præsidium, supremam solum universorum curam; nec hos ad eventus singulares descendere creditos esse, nisi vel rei gravitas tantos vindices postularet, vel personæ insigniter acceptæ meritum; & tunc qvidem sæpe inferiorum Deorum ministerio uti; curam autem singulorum vel hominum vel rerum proximam nostri, cum multis a) *Cudwortho* memoratis, inferioribus Deorum ordinibus relictam esse credebant; modo ut hæc pro re nata superioram seqveretur nutum. Primi inter illos ponendi videntur *Dii singulorum locorum tutelares*, qvi communi vocabulo *Landvættir* sive genii locorum veteribus dicebantur. Hi proxime suberant

a) Syst. int. p. 261.

rant Deo integræ regionis præſidi, qvi unus ex ſuperiorum ordine fuit, ab Egillo Skallagrimi filio apud *Bartholinum b*) *Landás* dictus, Danis qvidem Odinus, Svecis Freyus, Norvegis & Islandis Thorus, uti idem *Bartholinus c*) docuit. Ab hoc poteſtatem accepiſſe vicariam credebantur omnia ea dirigendi, qvæ loca ſpectarent, in qvibus ſuas qvilibet nacti erant ſedes; ſive cœli ſoliqve viciſſitudines eſſent, & inde pendentes œconomiæ domeſticæ vitæqve privatæ rationes; ſive regiminis reiqve & religionis publicæ ſtatus, noviqve motus, qvi hunc forte turbarent. Erant ita genii locorum numinis terræ tutelaris in regenda miniſtri, ſuffectiqve cuſtodes

F 4 pro-

b) Ant. Dan. p. 376. c) Lib. II. c. 5.

proventus inprimis terrarum & maris, rerumqve qvas vitæ neceſſitates reqvirebant; unde & a multis maxima religione colebantur. Nonnulla his ſomnia Antiqvitates diſerte tribuunt, *Olavio d*) annotata; eoqve ſine dubio ſpectat Hallfredi ſomnium *e*), qvo a viro illi apparente monitus narratur, ut habitationem & pecora in occidentalem fluminis Lagarfliotenſis ripam transferret, *cum omnis ejus fortuna locum ibi elegiſſet* ("fœr þu a brott fe þitt veſtr yfir lagarfliót, þar er heill þín öll); magis tamen luculentum eſt Hafurbiorni ſomnium, *Landnama - Sagæ f*) memoratum, qvi poſt-

d) In Diſſ. de igne ſubt. §. 27. p. 16.
e) Hrafnkels-Saga freys-goda c. 1.
f) p. 145 - 146.

poſtqvam oblatæ a monticola, in ſomno ſibi apparente, ſocietati annuerat, pecorum ditiſſimus brevi factus traditur, eumqve forum, fratres vero venatum vel piſcatum euntes, Landvættorum ſive geniorum terreſtrium agmina ſemper ſeqvi viſa eſſe. Verum enim vero geniorum hujus ordinis proprietates cogitanti dubium eſſe neqvit, qvin multo plura ſomnia eis tribui debeant. Huc primo refero multa eorum ſomniorum, qvæ imperiorum vel natales vel mutationes portendere credebantur; qvale eſt Bardi, de Haraldi pulchricomi dominatione, ab *Arngrimo* g) deſcriptum; & multa, de aliorum Norvegiæ principum fatis, *Sturlæo* paſſim memorata; deniqve &

g) Crymog. L. II. p. 114 115.

Sverreri, de ſuis, qvo ales ſibi videbatur, roſtro auſtralem Norvegiæ terminum, cauda Finnmarchiam attingens, alis autem totum Regnum regens: Etenim vel ſola Egilli Scallagrimii in Ericum Blodoxium Norvegiæ Regem exſecratio *Bartholino h*) & *Olavio i*) ex *Egils-Saga* relata, ſatis docere poteſt, adſcriptam olim Landvættis etiam in imperia poteſtatem. Secundo huc pertinent appaririones in ſomno factæ, qvæ *monticolarum* nomine ſigillatim veniunt. Nam & genius loci, qvi Hafurbiorno apparuit, *monticola* diſerte vocatur, & vulgaris olim omnium opinio erat, hanc geniorum ſpeciem montes & ſaxa maxime habitare; multiqve credebant ſe ab eis poſt

h) L. c. p. 106. *i*) L. c. p. 17.

poſt mortem receptum iri; horum qvosdam *Bartholinus k*), plures *Olavius l*) nominat, qvibus Hreidarus jungi poteſt, in montem Mælifell, habitationi ſuæ vicinum, poſt mortem recipi exoptans *m*). Cum vero ita genii locorum alterius etiam vitæ arbitri haberentur, his etiam tribui debent multa eorum ſomniorum, qvibus ſpiritus incerti generis, ſed virili plerumqve forma, magnorum virorum cædes & prælia indicaſſe narrantur. Talium præ ceteris largam meſſem ſuppeditat *Sturlungorum hiſtoria;* & tale mea qvidem ſententia haberi debet Floſonis ſomnium in *Nials-Saga n*) ita deſcriptum:

k) L. c. p. 356 & 361.

l) L. c. p. 18, 19.

m) *Landnama-S.* L. III. c. 7. p. 99.

n) Cap. 123.

tùm: *Videbar in ſomno ad rupem Lómagnup conſtitutus foras egredi, facieqve ad orientem verſa rupem proſpicere. Tunc hæc apperiri viſa eſt, virqve inde egredi pelle caprina amictus, baculumqve ferreum manu tenens; hic clamans ibat, ſuosqve ordine vocabat, nomine qvemvis compellans* " miki dreymdi at ek þottizt ſtaddr at Lomagnupi, ok gánga ut, ok ſiá í auſtr til Gnupſins; hann opnadizt ok geck madr ut or hanum ok var í geythedni, ok hafdi jarnſtaf í hendi; hann fór kallandi, ok kalladi á menn ſína, ſuma fyrr enn ſuma ſídarr, ok nefndi þá a nafn. Hic perſpicuum eſt genium intelligi rupis Lómagnupenſis præſidem, qvalem montis Snæfellenſis *Bardar-Saga* nominat, *Snæfells-ás* dictum, & eadem

Nials-

Nials-Saga alibi, Svinfellensis, *Svinfells-ás*. Viri autem qvos ordine suos vocavit, Flosonis ipsius socii, in tumultu civili, cui Floso præerat, mox perituri, opinionem exprimunt, qvam jampridem tetigi, de futura cum geniis locorum alterius vitæ societate. Tertio deniqve ad genios locorum ea somnia refero, qvæ Alfis & Dvergis tribuuntur, nam & hos in Deorum terrestrium numero fuisse constat, licet qvalitatibus qvibusdam, sibi propriis, a ceteris eorum speciebus distinctos. Idem & de multis apparitionibus dicendum, qvæ giganteo generi tribuuntur, qvalium unam *Bartholinus o)*, alteram, ex *Olafs-Saga*, *Olavius p)*, plures

o) L. c. p. 426.

p) L. c. p. 22. 23. not. *ddd.*

plures vero ipsæ nostratium antiqvitates memorant. Interdum tamen genios hominum tutelares hoc etiam habitu apparuisse creditos *Edda* Sæmundi docet in præfatione ad *Helga - qviþo Haddingia-Scata* referens: " Hedinn fór einnsaman heim or scogi jóla aptan, ok fann tröllkono; su reid vargi ok hafþi orma at taumom, oc baud fylgd sina Heþni. Ney sagdi hann. Hon segir; þess skalltu giallda at bragar-fulli " i. e. *Hedinus Helgii frater, cum festi Jolensis vespere solus ex sylva domum iret, obviam habuit foeminam giganteam; hæc lupo insidebat, & serpentes habenarum loco habuit, suumqve ei ministerium vel auxilium obtulit; abnuit ille; ea vera irata, hoc inqvit tibi ad Bragi poculum tuo malo repen-*

pendam. Frater ejus Helgius & ſua ſagacitate mortem ſibi inſtare conjecerat, & hinc plurimum perſvadebatur; fœminam enim lupo inſidentem, qvam Hedinus viderat, genios fuiſſe ſuos, ad Hedinum tranſitum parantes " hann grunadi um ſeygd ſína, oc þat, at fylgior hans höfþo vitiat Heþins, þa er hann ſa konona rída varginom ". Sed nullum vere hic locus dubium objicit; certum enim eſt, genios locorum tutelares, hominum etiam tutelaria numina, fuiſſe habitos. Dubius vero ſum, an geniis locorum accenſeri poſſit Menglada, qvæ Ormo Storolfi filio, Bruſium oppugnaturo, per qvietem apparuiſſe, ſuisqve cum artibus adjuviſſe traditur *q*); huic enim fabulæ hiſtoricæ potius

veri-

q) Append. *Olafs-Sagæ* p. 15.

veritates, qvam religionis ethnicæ dogmata ſubeſſe videntur.

§. 22. Ex Deorum, qvibus ſomnia adſcribebantur, inferiorum ordine geniis locorum commodiſſime ſubjunguntur Deæ minorum gentium, qvas communi vocabulo *Parcas* appellare placet; ut enim illi divini integrarum regionum regiminis adminiſtri habebantur, ita hæ ſpecialis Deorum majorum circa homines curæ diſpenſatrices & famulæ; unde maximam omnino, ex veterum doctrina, harum in ſomniis operam credi debuiſſe officium earum manifeſte poſtulavit. Originem & genealogiam harum Parcarum non pertexo, cum Theogoniam non ſcribam; ſufficit notaſſe tri-

triplex earum diſcrimen, inde enim ſtatim patet qvantum eis veteres tribuerint in res humanas imperium. Primum genus conſtituunt *Parcæ proprie dictæ*, *Urdr*, *verdandi*, & *Skulld*, qvarum hæc futurorum, illa præſentium, iſta vero præteritorum notiones, ſuis nominibus exprimunt. Has cum Græcorum & Latinorum Parcis ut numero, ita poteſtate recte comparari *Eddæ* deſcriptio docet a *Bartholino* a) producta. Proxime autem ſubeſſe credebantur Deorum majorum, qvod fatis præerat, collegio, præcipue tamen Odino, ſummo fatorum humanorum moderatori, & ad ejus nutum, omnia qvidem fata, maxime

a) Ant. Dan. p. 610 - 11.

xime tamen vitam, hominibus præfinire, ſuumqve ei ſtatuere modum. Odini in fata imperium latiſſime omnino patuit, licet vel ipſe a fati ſuperioris legibus prorſus ſolutus non eſſet; & inde facile intelligitur, qvanta ſomniorum pars Parcis hiſce ex veterum mente tribui debeat; idqve ſomnia confirmant eis diſerte adſcripta, & in his unum ante pugnam Aurlygſtadenſem, *Sturlungorum hiſtoriæ b*) memoratum, qvo Parca *Urdur* vindictam ſe de hoſtibus ſumturam præliumqve accenſuram carmine ſignificaſſe refertur. Secundum Parcarum genus conſtituunt *Valkyriæ* ſ. Parcæ bellorum miniſtræ. Diverſa qvidem his, in veteri Theologia, origo tri-

b) Lib. 6. c. 15.

tribuitur; omnes tamen ex antiqva Amazonum hiſtoria formatæ videntur; omnibus etiam eadem officia ſunt, qvantum hic ſufficit a *Bartholino c)* deſcripta, nempe eos, qvi in præliis morituri eſſent, ſeligere, ad gaudia Valhallica invitare, menſisqve eorum in Valhalla miniſtrare. Odino ita ſpeciatim a manibus eſſe credebantur, qvatenus cæſorum, morteve militari pereuntium, patronus habebatur, & ab eo ad prælia tumultusqve bellicos dirigendos ablegatæ paſſim traduntur. Forte etiam Freyæ eas adjunget, qvi dimidiam cæſorum partem ei in Edda tribui cogitaverit; licet id veteres, qvantum memini, conceptis verbis non dicant. Certum autem eſt priore inferius

G 2 hoe

c) Ant. Dan. p. 517. ſq. & 554.

hoc habitum fuiſſe Parcarum genus; nam ex prioribus Parcis ſola huic accenſetur Skullda, natu & dignitate minima. Omnia qvoqve indicant Valkyrias ſpecialius vocari debere Parcarum genus, illi fatorum parti, qvæ futura, propric tamen, qvæ bellorum tantum fortunam ſpectaret, vicaria poteſtate præpoſitum. Eatenus illis ex Theologiæ noſtræ gentilis principiis ſomnia recte adſcribi tam ipſa talium ſomniorum exempla docent, qvam aliæ Valkyriarum apparitiones, veteribus, maxime *Eddæ* antiqviori, proditæ, qvarum una ex *Niala* a *Bartholino d)* & *Torfæo e)* narrata, ſpecimen præbere poteſt. Eo & ſine dubio referri debent duæ illæ fœminæ, qvas *Vigaglums-*

d) L. c. p. 617. e) Orcad p. 36 &c.

glums-Saga f) Glumum ante prælium Hrifateigenfe fomniaffe tradit *vafculum inter fe tenentes totumque territorium fanguine perfundentes.* Glumus enim in carmine adjecto, non tantum *Afiniur* f. fœminas divini generis eas vocat, fed & iter earum, qvod per fomnium viderat, *Godreid* i. e. divinam eqvitationem; notum autem eft, id Valkyrjis negotii ab Odino datum, ut äera & mare eqvitarent prælia moderaturæ. Si qvis genios locorum (§. 21.) hic intelligi mavult, habet qvidem qvo fe tueatur, qvod hi etiam interdum tradantur per äera eqvitantes cædes & bella nunciaffe *g)*; Re-

f) Ed. Isl. c. 21. p. 222.
g) Conf. *Olav.* Diff. cit. p. 22 23.

liqvæ tamen hujus loci circumſtantiæ Valkyrjis magis favent.

§. 23. Tertium *Parcarum* genus illæ conſtituunt, qvas ad qvemlibet infantum, qvamprimum naſceretur, venire noſtri crediderunt, qvin ipſi puerperio præeſſe; tumqve nato vitæ terminum ponere; & deinde per totam vitam adeſſe perpetuas actionum comites & cuſtodes, fortunæ arbitras; duplices vero omnes eſſe, bonas nempe & malas, illasqve felici, has infelici, vitæ cauſam dare. Plura de his infra *) dicam; unde ea tantum hic notare volui, qvæ de eis jamdudum *Bartholinus* docuit a), ſufficiunt enim probando

*) In append. ſ. obſervatione 2da.

a) Ant. Dan. p. 612.

bando qvod præſentis eſt inſtituti, ſpecialiſſimum, ſi ita loqvi liceat, hoc fuiſſe Parcarum genus, proximam ſingulorum hominum curam gerens. Inde qvippe haud coacte ſeqvitur, credere ex ſua doctrina veteres debuiſſe, ordinarium ſomniorum divinorum regimen penes eas eſſe; nihil enim magis naturale, qvam ſpiritus hoſce familiares, generationis alumnos & vitæ, liberiore per ſomnum ad animam acceſſu, ſi res poſtularet, uti, eaqve identidem indicare, qvæ ſui eſſent muneris, ſive homini utilia ſive noxia. Jure hoc me colligere ſatis ſuperqve docet *Giſla Surſſonar-Saga*, & primo qvidem *b*), ubi Gislo uxori, de ſomnio qværenti, reſpondiſſe

 ſer-

b) Ed. Isl. c. 22. p. 157.

fertur: *Duas ego ſoeminas habeo, quæ mihi ſomnia ſuggerunt; una mihi amica eſt & bene ſemper conſulit; altera vero ſemper nunciat quæ ægre fero, malaqve mihi vaticinatur; ſomniavi autem me ad domum qvandam majorem vel coenaculum accedere, & intrantem multos ibi cognatorum & amicorum meorum videre. Hi ad ignes bibebant; ſeptem vero ignes erant, alii prope exſtincti, alii clariſſime adhuc ardentes. Tum intrans melior foemina: jam te inqvit amice excipiam, tibiqve prædicam qvot vitæ anni reſtent. Ignes, qvos vides, ætatem tuam ſignificant; conſulo autem, ut dum vivis priſtinam ſuperſtitionem omnemqve alium malorum geniorum cultum relinqvas; artes magicas ne diſcas; claudum, coecum, & qvi te debilior eſt, bene habe-*

as.

as. Quæ ſi feceris, bene, ſpero, tibi, eveniet. Simile huic alterum Gislonis ſomnium ita narratur c): *Jam nocte quadam ſomniavit foeminam meliorem equo griſeo vectam advenire, utqve eam domum ſeqveretur invitare. Annuere his ſibi videbatur, & tunc ab ea ad domum abduci aulæ in modum opipare inſtructam, ubi ſellæ erant pulvinaribus ſtratæ; ibiqve ſibi habitationem cum ea & delicias obtuliſſe, & poſt fata promiſiſſe.* Contra etiam pejor fœmina ſæpius ei *qvietem turbaſſe* traditur *eumqve ſangvine perfundere voluiſſe* d), tandemqve e) *minata eſſe, ſe omnia illa irrita redditurum, qvæ melior foemina promiſiſſet, idqve effecturam, ut nul-*

 lo

c) Ib. c. 30. p. 170. d) C. 24. p. 159.
e) C. 33. p. 173.

lo ei auxilio vel commodo forent; ſic enim Diis iratis decretum eſſe; ſimulqve ei caput ſangvine laviſſe, totumqve corpus perfudisſe, & mitram impoſuiſſe ſangvine madentem. Verſionem horum locorum aliqva ex parte ad Codicum Mſtorum tenorem aptavi, ipſa vero prototypi Islandici verba, ſpatio parcens, adſcribere nolui, cum editus ſit auctor, licet a Mſtis melioris notæ, etiam his in locis, multum diverſus, & ea parte mutilus, qvod omisſa ſint carminum plurima, qvæ Gislo hac occaſione fudiſſe perhibetur. Sufficit adducta probare, qvod hic agitur, Deas illas familiares, qvæ hic introducuntur, ad Parcarum ordinem pertinere; id enim & fœmininum earum genus, & cura fatorum Gislonis, qvam una earum

pro-

profitetur majorum Deorum imperio ſubjectam, aperte loqvuntur. Sed & tertio Parcarum generi eas ſpeciatim asſerunt tam diſtinctio earum in bonam & malam, qvam plena illa miniſterii, Gisloni ab utraqve præſtiti, cum deſcriptione illius Eddica ſimilitudo; deniqve & ſocietas alterius vitæ ab earum meliore Gisloni oblata. Hæc inprimis eas ad geniorum ordinem referri debere indicat; nam ubicunqve noſtris de beatorum ſedibus ſermo eſt, ab Odini & aliorum Deorum ſocietate diſtinctis, geniorum habitacula ſemper intelliguntur, ſive hi locorum ſint, ſive hominum tutelares, qvos noſtri vulgo crediderunt ordinarios ſeſe alterius vitæ ſocios habituros, ut hujus eos cuſtodes habuerant; id-

idqve præter multa haud parum confirmat Thidrandi exemplum post *Olafs-Sagam f)* a *Bartholino g)* & *Cleffelio h)* relatum, qvem genii, vel Parcæ familiæ ejus tutelares, instantem sacrorum mutationem veriti, ideo occidisse credebantur, ut eum sibi haberent, reliqvis cognatorum ejus christiana sacra amplexis. Tertium autem hunc Parcarum ordinem geniorum tutelarium loco nostris habitum fuisse infra *i)* probabo. Si instes: singulare nimis esse Parcarum hujus generis cum Gislone commercium, ut ordinarium ideo eis adscribatur somniorum regimen: respondeo: singularem qvidem esse hujus commercii modum, in-

pri-

f) Ed, Isl. p. 213. *g)* Ant. p. 614.
h) Ant. Sept. p. 79. *i)* Obs. 2da.

primis qvod Gislo Parcas hasce suas clare adeo agnoverit, & tam multum tamqve distincte cum eis versatus tradatur; ipsum vero commercium vel officium, qvod eis hic tribuitur, nihil habet singulare, sed modum multo magis demonstrat, qvo talia somnia produci olim credita sunt, qvamvis haud omnibus somniantibus, sed insignioribus solum, & ne his qvidem semper, sed in casibus tantum periculi plenissimis, qvi singularem numinum tutelarium operam poscerent, perceptum. Dico hoc eo certior, cum testes multi adsint, qvorum unum nominare sat est, Biornum Hitdalensium Athletam, qvi in carmine qvodam de somniis composito, qvibus ante cædem suam gravissimis exercebatur, *suspicari*

se

ſe inde profitetur, *providas fatorum ſuorum Diſas* (qvo nomine, ut omnes Deæ, ita Parcæ genitales vel tutelares inprimis intelliguntur) *his indiciis imminentem, ni caveret, interitum ſibi nunciare velle.* Similes ita Parcas Biornus ſuorum, qvas Gislo ſuorum, ſomniorum agnoſcit cauſas; Similis etiam utrisqve eſt forma; niſi qvod Biornus fœminam, qvæ ipſi apparere in ſomno ſæpiſſime ſolebat, eumqve ad ſe invitare, *galeatam* apellet, qvaſi Valkyriam ſignificaturus. Sed verius hoc vel Parcæ hujus ſtudio tribui crediderim, militare mortis genus habitu militari indicare volentis, vel licentiæ tantum poeticæ; qvali *Viga-glums-Saga k)* Glumum uſum probat in fœmina deſcribenda,

k) Ed. Isl. p. 197 198.

benda, qvam ipse in somnio viderat; hanc enim *& galeatam*, & Valkyriæ nomine *Gudam* vel *Gunnam* vocat, qvamvis sciret Valkyriam non esse, sed Parcam Vigfusi Ducis tutelarem; gnarus qvippe talia antiqvis appellationum metricarum legibus permitti. De consilio illo, qvod primus, qvem attuli, ex Gisla Surssonar-Saga locus adjectum habet, multa non dicam. Salva enim re concedi potest id librario cuidam vel auctori christiano deberi, qvamvis non omnino desint, qvæ id ethnicæ etiam Theologiæ placitis vindicare possent.

§. 24. Parcis jungi possunt *mortui* sive *manes*; tot enim sunt, qvæ his veteres tribuunt, somnia, ut numero

fere

fere careant. Spectant autem omnia vel mortuos ipsos, vel cognatos eorum & amicos horumqve posteros, vel loca deniqve, qvæ vivi aut habitaverant, aut in potestate habuerant, & res, qvarum aliqva pars eos tetigerat. Mortuos ipsos spectant 1) monachi cujusdam & Halldori Holmensis somnia, qvibus sanctum Asolfum de ossibus suis rite condendis eos monuisse *Landnama-Saga a*) refert: 2) Hallbiorni Halii, cui Thorleifus Comitum poeta, tumulo suo indormienti, & carmen de se encomiasticum meditanti, apparuisse, spiritumqve poeticum indidisse memoratur *b*): 3) Hersteini, cui pater, tunc incendio ab-

a) p. 18. 19.
b) Olafs Saga Lib. I. p. 209.

abſumtus, advenire videbatur veſtes & comas ardens *c*); & plurima alia. Reliqva promiſcue indicant: 1) Geſti ſomnium, qvem, religionem chriſtianam ex voto amplexum, Bardus pater in ſomnio graviter reprehendiſſe narratur, & lethali oculorum dolore affeciſſe *d*). 2) Egilli Halthori filii, Snorronis Sturlæi familiaris ſomnium, cum Snorro prædium Borgenſe, Myramannorum genti hæreditarium, relinqvere meditaretur; tunc enim gentis conditor Egillus Scallagrimi filius de infelici talis conſilii eventu per qvietem illum monuiſſe Stur-

c) *Hænſa-Þoris-Saga* c. 9.

d) *Þáttr Geſts Bardarſ.* ed. Isl. cap. II. p. 181.

Sturlungorum historiæ e) memoratur. 3) Tertium his jungo Hranii ſomnium, Haraldi Grænſkii ſocii, qvo Olafus, Geyrſtadenſis primo regulus, poſt pro numine tutelari habitus, & *Geirſlada-Alfr*, id eſt genius Geirſtadenſis vocatus, conſuluiſſe traditur, ut Hranius in tumulo ſuo pecuniam qværeret, Svenonem Comitem Haconis filium regno jam profugum ſublevaturam; deinde reginam, Haraldi Grænſkii viduam, partu laborantem liberaret, & de Olafi nomine filio infanti imponendo paciſceretur; poſt ad Olafum Trygvinum profiſciſceretur, & religionem chriſtianam ſuſciperet; & deniqve ad Olafum Haraldi filium rediret, tutor ei primum, poſt in divi-

e) Lib. III. c. 30.

dividuus vitæ comes futurus. Prolixe hæc refert *Olofi Geirſtadenſis Vita* & ex ea *Torfæus f*). Addere tamen qvartum exemplum juvat ex *Halfsrecka-Saga* Urſteini, priorem ſuum Dominum, Halfum Regem, ante prælia ſomniare ſoliti, comitem ſe ei offerentem; Tandemqve qvintum ex *Vigaglums-Saga g*), ubi Glumus, anteqvam ad comitia iret, litem de Thorvalldi Krokii cœde diſceptaturus, ſomniaſſe traditur, *magnam hominum multitudinem Thveraam*, ubi habitavit, *veniſſe, ut Freyum*, qvi fanum ibi habuit magna religione celebratum, *venerarentur, pro concione in ſella ſedentem; tum autem ſe qvæſiviſſe, qvinam eſſent? eos*

f) Hiſt. Norv. T. I. p. 402 - 3.
g) Ed. Isl. c. 26. p. 233.

vero respondisse: Majores tui sumus jam defuncti, Freyum venientes oratum, ne prædio tuo expellaris; sed frustra; parce enim & iracunde respondet, sacrificii vel donarii votivi memor, quod Thorkillus Altus, cui tu qvondam prædium extorsisti, *discedens obtulit.* Pluribus cumulandis data opera abstineo; adducta enim satis, credo, probant, eandem fuisse de mortuis majorum nostrorum opinionem, qvæ omnibus fere populis communis olim fuit: gerere eos post mortem curam tam rerum qvibus viventes interfuerant, qvam personarum, cum qvibus eis qvoddam vel imperii vel amicitiæ vinculum vel sangvinis qvædam necessitudo fuerat; jamqve de periculis & malis præmonere, animumqve addere ad ea, qvæ vitari non

non possent, fortiter sustinenda, reliqvorum remedia vel effugia monstrare; jam a factis absterrere cordato homine indignis, & contra ad honesta hortari: Verbo, vel eventura tantum indicare, vel simul consulere qvæ in futurum utilia forent, maxime per somnia, cum liberior ad animam dormientis aditus pateret.

§. 25. Nullum utiqve dubium est, hanc opinionem, ex altera, de spirituum immortalium existentia, animæqve humanæ immortalitate, profluxisse; Sed modus, qvo nostri eam inde deduxerint, dubio non caret. Forte ex doctrina de transmigratione animarum, qvam eos credidisse *Bartholinus* a) notavit.

a) Ant. Dan. p. 208.

vit. Non qvidem omnino male, qvatenus animabus, si otiosæ oberrarent, rerum, qvæ corpori junctas tetigerant, cura facile satis tribui potuit. Sed primo non video, qvomodo hæc cura ulterius extendi potuerit, qvam donec tales animæ nova corpora subirent. Deinde etiam, cum post *Eddam* antiqviorem nullum, qvod sciam, nostratium monumentum transmigrationis animarum mentionem faciat, suspicari jure possumus, hanc doctrinam, si ea unqvam toti septentrioni familiaris fuit, ad tempora tantum pertinere Odino illo ultimo priora, hujus vero institutis paulatim deletam esse, utpote his minus aptam. Et si vel maxime concedam primam eam fuisse curæ vivorum mortuis ad-

adſcribendæ, cauſam, certum utiqve omnia, qvæ præſto ſunt, exempla efficiunt, poſteriorum temporum homines hanc illius originem non ſpectaviſſe. Propior igitur hujus mortuorum circa ſuperſtites miniſterii cauſa, a divina animarum origine, earumqve ad Deos reditu (§. 15.) petitur. Ea *Macrobio* b) maxime probatur; eamqve & noſtris probatam non dubito, qvatenus eundem animarum fontem, easdem poſt mortem ſedes eos etiam crediditſſe, præter ſupra (§. 18.) adducta, *Edda* etiam c) ſvadet. Nec enim aliud facilius cogitari potuit, qvam divini in res humanas imperii, eos, veteris poteſtatis exemplo,

 vel

b) In Somn. Scip. Lib. I. c. 9.
c) Fab. 31.

vel participes fore vel miniſtros, qvi divinæ participes naturæ, humanis olim ipſi interfuerant, jam vero poſt fata vitæ divinæ conſortes erant vel ſocii. Hactenus qvidem bene. Sed qværi adhuc poterit: Unde hoc ſpeciatim deduci & explicari debeat? Vulgo id fieri ſcio ex ſola ultimi illius Odini doctrina. Verum enim vero, poſtqvam fabulas revolvi, qvas utraqve Edda & hiſtorici noſtri veteres ſervarunt, easqve & ſecum invicem, & cum eis contuli, qvæ vetuſtioribus orientis populis credita ſunt, & deniqve ad diſcrimen attendi temporum, qvod in his, ſi rite exponi debeant, obſervandum recentiorum nonnulli monuerunt; tanta mihi viſa eſt in noſtris fabulis diverſitas, ut omnes ejusdem nec

ori-

originis nec ætatis haberi poſſint. Addat huic meæ ſententiæ qvilibet, qvam velit, fidem. Ut autem ejus ſpecimen pateat, in re qvæ hic agitur, Theologia ſcilicet gentili in ſe ſpectata, (gentis enim noſtræ origines & hiſtoria antiqviſſima, qvæ ſimul admixtæ ſunt, alio pertinent) tria diſtingvo.

§. 26. Principio, anteqvam vera conditi vel reſtituti mundi religio penitus exſtingveretur, gentis noſtræ conditores, forte nondum ſeptentrionem asſecuti, agnoviſſe videntur ſupremum aliqvod numen, qvod ut cœlum & terram, ita & animas condidiſſet, hasqve mortuo corpore reciperet. Qvamvis enim traditiones eorum antiqviſſimas chriſtiani fabularum Eddicarum compila-

tores ad ſuum ſenſum plurimum mutaverint; hæc tamen primitiva opinio clare ſatis ubiqve pellucet. Defunctorum autem circa viventes cura, ſi qvid conjicere fas ſit, nulla facile eſſe ex hac doctrina potuit, niſi forte certis in caſibus, ubi ſummo numini placeret, horum ad id miniſterio uti.

§. 27. Succeſſiſſe huic doctrinæ lapſu temporum corruptæ altera videtur, qvæ ſupremum numen aut nullum agnovit, aut a mundi cura ſi non ex omni, certe maxima ex parte, ſolutum; materiæ autem, cœlo inprimis & terræ, vim ſolum divinam vel facultatem reliqvit genitricem vel procreaticem, eo fere modo, qvo Cosmogonias & Theogonias veterum

rum Orientalium *Moshemius* ad *Cudworthum* a) exposuit. Hanc generandi vim afflatum vel spiritum plasticum supra (§. 6) vocavi, fabulasqve Eddicas indicavi qvæ eo pertinent; ipsius vero doctrinæ specimen hoc esse poterit: *Duos initio fuisse mundos, & primum quidem unum ad meridiem, igne & calore plenum; post alterum ad septentrionem gelu & pruina rigentem; ubi autem calidum hoc & frigidum primitivum se invicem contingebant, pruinam caloris dura in guttas resolutam esse, & ex his, per virtutem ejus, qvi calorem miserat, vivišcentibus, prodiisse Ymerum qvendam, non Deum, sed gigantem quendam malæ indolis; & hunc iterum,* *cum*

a) p. 227. 256. 265. 268. & maxime 181-84.

eum dormiret, sudore perfusum, sub ala sinistra marem & fœminam enixum esse, pedem vero ejus unum ex altero filium genuisse; & hinc prognatum *esse genus quoddam gigantum, quod hrimthussos vocant, sive gigantes ex pruina natos. Porro ex eadem pruina, per calorem liquefacta, Vaccam prodiisse, quæ lacte suo Ymerum nutriebat, ipsam vero Vaccam pastam esse lapides lingendo pruina salsa obductos, ex qvibus tertio die Burum qvendam eduxit, cujus filius Baurus fœminæ giganteæ matrimonio sociatus Deos genuit mundi hujus conditores & rectores. Hos deinde Ymerum occidisse, cujus sangvine tota Hrimthussorum natio suffocabatur; primumqve ex corpore ejus cœlum, quod videmus, terramqve & mare condidisse; post hominum*

genus

genus ex ligno formasse; & Dvergis denique, qvi interea in terra, ut vermes in cadavere, geniti fuerunt, figuram addidisse & rationem humanam. Facillimum esset harum fabularum plurimas ex antiqvissima populorum orientalium cosmogonia explicare, qvemadmodum & illæ communem & cum hac, & cum primis Sinarum originibus, *Bayero* judice *b*), in historia Creationis, diluvii universalis, & seqventium proxime seculorum, fontem produnt: Sed id jam non ago. Satis mihi est aperte hic prostare vim qvandam primitivam eamqve divinam qvæ prima mundi stamina fœcundaverit, suaqve facultate spiritus eduxerit vel naturas intelligentes, primum qvidem su-

pe-

b) Mus. Sin. T. II. p. 279. &c.

perioris ordinis, ex materia prima vel puriſſima, poſtea vero vel ipſa, vel harum ope, ex terra, inferiores, homines puta & omnes geniorum ſpecies.

§. 28. Hæc ſine dubio fuit, cum ultimus ille Odinus adveniret, borealium noſtrorum philoſophia; & ex hac animæ humanæ ſpiritus qvidem ſunt originis & naturæ divinæ, ſed terreſtres tamen, (terræ adſtrictos, vel ad terram pertinentes intelligo, non materiales) atqve ita geniis Diiſve terreſtribus annumerandæ. Hunc etiam fontem haud obſcure indicant multæ Theologiæ noſtratium gentilis de mortuis fabulæ. Primum harum exemplum ſit, manſio poſt mortem, & ſocietas alterius vitæ

cum

cum geniis vel locorum (§. 21.), vel hominum tutelaribus (§. 23.), in montibus, collibus, locisqve aliis proximis credita; qvo & forte pertinet Fridthiofi animosi dictum a), qvi tempestatem, qva in navigatione Orcadensi agitabatur, haud cessaturam suspicatus traditur *priusqvam qvidam suorum Ranam invisissent* i. e. Nymphæ maris tutelari naturæ debitum solvissent. Qvalis doctrina qvamvis historicis nostratibus interdum memoretur, nulla tamen ejus in Edda est mentio, nec ei satis convenit cum Odini institutis, qvæ alias omnes introducunt animarum post mortem sedes, nullam vero harum geniorum societati diserte assignant. Ex ea contra, qvam hic indicavi, ani-

ma-

a) *Fridþiofs-Saga* ed. Biörneri p. 19.

marum origine & natura prono adeo alveo hæc doctrina fluit, ut ſine omni errandi periculo ſtatui poſſit, eam, ſi non omnibus, plurimis certe ſeptentrionalibus aliqvando communem fuiſſe, nec alias vulgo exſpectari ſolitas animarum poſt mortem ſedes; qvid enim, qvæſo, propius cogitatu, qvam animas, qvæ ſua natura ſpiritus terreſtres habebantur, poſtqvam corpore defunctæ eſſent, ad reliqvam ſui generis commeare, dæmonum, geniorum, vel ſpirituum terreſtrium catervam? Alterum ejusdem animarum originis & firmamentum & exemplum eſt opinio illa, qvæ per Odini inſtituta multis in locis translucet, *Apuleji* de manibus philoſophiæ, *Bartholino b*) jam

b) Ant. p. 258. 259.

jam tum notatæ ſimillima; nempe 1) *defunctorum animas loca vel vitæ prioris aut habitationis, vel ſepulturæ ſeqvi; & malorum qvidem animas* 2) *circa ſepulcra oberrare, & terriculo viventibus & detrimento eſſe; bonorum vero* 3) *vel ſepulcra vel loca, qvæ viventes tenuerant, quiete poſſidere, ibiqve lætitia perfrui*, negotia, qvibus viventes operam dederant, poſterosqve curare, & rebus eorum bene conſulere. Primum omnes illi ſuis exemplis exprimunt, qvi ſe ita ſepeliri morientes præceperunt, ut vel viventibus qvam proximi intereſſe poſſent, vel priores ſuas poſſeſſiones, amicos, & negotia, qvæ vivis curæ cordiqve fuerant, inſpicere; qvales *Bartholinus* c) Ingolfum

c) Ant. p. 119.

ſum Vatnsdalenſem nominat & Hrappum *d*), *Fridthiofs-Saga* vero *e*) Thorſteinum, qvi tumulum ſibi in littore fieri juſſit Beli regis tumulo adverſum, *quo facilius ſe invicem, de novis, qvæ forte acciderent, compellare poſſent. Svarfdæla-Saga* Carolum Rufum addit, animam mercaturæ & navigiatonibus deditiſſimam uxori his verbis, commendantem: "Ek vil lata færa mik yfir á Þà, er her er ut á ſtröndinni, ef ek látunz á fundi ockar Liótólfs, Þykir mer Þar gott til ſynis, ef ſkip ſigla ut edr inn eptir firdinum i. e. *Si contra Liotolfum pugnaturus moriar, trans amnem, qvi oram mari objectam permeat, ſepultum vehi volo, ibi enim optatiſſimus in naves ultro citroqve per ſinum*

d) p. 268. *e*) Ed. Biörneri p. 3 & 4.

ſinum veliſicantes proſpectus videtur. His etiam jungi Kveldulfus debet *f*), qvi in navigatione Islandica moriens, filio præcepit, *ut habitationem in Islandia eligeret, ab eo regionis loco non nimis diſſitam, qvem loculus ejus in mare projectus peteret*, qvo ſcilicet facilior præſenti familiæ conditoris animæ poſteritatis eſſet cura. Nec aliud indicat ejusdem *Landnama-Sagæ* relatio *g*) de loco, in qvo Hiorleifus cum ſociis per inſidias interemptus eſt: *qvod longo ſatis tempore nemo, ſpectrorum metu, auſus eſſet habitationem ibi figere*; aptius enim hæc ſpectra iratis occiſorum animabus & geniis adſcribuntur, qvam geniis locorum, uti *Landnama-Sagæ* au-

f) *Landnama-Saga* p. 21.

g) Lib. 4. c. 13. p. 146.

ctori est visum; nam hos Hiorleifi cæde haud irasci debuisse, indicio est, qvod Hiorleifus, ut omnium Deorum gentilium, ita etiam eorum, maximus per omnem vitam contemptor fuisset. Secundum prædictæ opinionis, *Apuleji* doctrinam imitantis, membrum probant homines male feriati, qvi post mortem in sua regressi corpora, & inde *Aptrgöngur* vel *regredientes dicti*, jam terrorem vivis, jam mala, rebus vero, imo toti interdum viciniæ, vastationem intulisse traduntur, perversos & exosos prioris vitæ mores imitati; qvales *Bartholinus h*) Glamum, Hrappum & Gardum; *Torfæus i*) Frodarenses; *Eyrbyggia-Saga*

h) Ant. p. 265 - 66. 269.
i) Vinland. p. 85.

ga k) Thorolfum Bægiforum; *Svarfdæla-Saga* Klaufium; *Landnama-Saga l)* Thorkillum Farfercum, aliiqve alios recenſent. Tertium omnes illi indicant, qvi, ut apud *Bartholinum m)*, *Landnama-Sagæ Appendicem n)*, ſecutum, Vatnarus Norvegiæ Regulus, viventibus apparuiſſe traduntur, beneficia remuneraturi, etiam poſt mortem in ſe collata; porro qvi adhuc vivi tumulos ſubiere, cibumqve & potum ſecum eo inferri curavere, ut, apud eundem *o)* Herlaugus Naumdalorum Rex; deniqve etiam qvi in tumulis interdum viſi traduntur, viventium more ſeſe gerentes, ut Gunnarus de

 Hli-

k) Cap, 56. *l)* p. 51.
m) Ant. p. 185. *n)* p. 177.
o) p. 514.

Hlidarenda *p*), Helgius Hundingi Occiſor *q*), & Brynjarus ille, qvem Thorſteino Tauripedi apparuiſſe *Olafs-Saga r*) tradit, ejusqve contra Oddum fratrem auxilium imploraſſe; niſi forte hunc non defunctis accenſere velis, ſed geniis locorum vel Alfis, ſe enim & fratrem *jardbua* vocat i. e. terræ penetralia incolentes. Sed qvidqvid ſit, alia, eaqve fere innumera præſto ſunt, qvæ hanc veterum opinionem, de animarum manſione circa ſepulturæ loca, extra omne dubium ponunt. Exemplo ſit Klauſius ex *Svarfdæla-Saga*, qvi qvamprimum ipſe per inſidias oc-

p) Ib. p. 279. 280.

q) Vide Eddam antiqviorem in Helga-Qvida Hundingsbana 2da.

r) Ed. Isl. L. II. p. 25-27.

occiſus erat, cædem ſuam Carolo Rufo cognato ſuo non tantum indicaſſe, ſed & caput manu tenens viam ei ad percusſores & inimicos monſtraſſe, & prælio mox cum eis commiſſo interfuiſſe narratur; Imo longo interjecto tempore eidem Carolo & Norvegis apud eum diverſantibus inſtantis eorum cædis ſpeciem repræſentaſſe, eqvo griſeo per aerem vectus, rhedamqve trahens, ex qva ſuum qvisqve caput propendere agnovit, idqve hac adjecta verborum formula: *Hac veſpera te Carole cognate domum mecum deducere conſtitui* (" heim ætla ec þer med mer í kvelld Karl frændi "). Et ne qvis hoc exemplum, qvaſi ſingulare tantum, ſuſpectum habeat, ſimilis circa mortuos ſuperſtitionis, plu-

rimis olim communis argumentum addo *Eyrbyggia - Sagæ* narrationem de Thoroddo Frodarensi & sociis mari suffocatis, cum convivium suum funebre invisferent: „ Menn fögnodo þeim vel, „ þviat þetta þotti godr fyrirburdr — „ Menn höfdo þat fyrir satt, at þá væri „ mönnom vel fagnat, ef siódaudir menn „ vitiodo erfis sins; þvi þá var litt af- „ numin forneskian, þo menn væri skyrd- „ ir oc christnir at kalla i.e. *Convivæ eos læti exceperunt, auspicatum hunc eventum judicantes — Vulgo enim pro vero habebatur, convivium funebre laute celebrari, si ipsi id mortui mari absumti inviserent; eo qvippe tempore religio gentilis haud multum exoleverat, quamvis omnes baptisati & nomine tenus christiani essent.* Hæc autem de-

functorum juxta locum cuivis emortualem commoratio non hominibus tantum minoris notæ tribuitur, qvos augustioribus post fata sedibus non satis dignos suspicari posses; Sed viris etiam principibus, ob gloriam mortemqve militarem Valhalla dignissimis; unde ea ex Odini institutis explicari non potest, nisi per ambages, ut animas, vel occasione data sedibus suis sponte evagari, & in corpora reverti, vel a potentiore qvodam numine reduci creditas esse statuas, vel deniqve, non ipsas hic animas intelligi debere, sed genios tantum, mortuorum forma ludentes. Si contra ipsas animas in numero geniorum habeas vel spirituum terrestrium, hæc earum mansio post mortem in locis vel sepulturæ vel prio-

ris vitæ, non tantum per ſe intelligitur, ſed & reqviri omnino videtur; atqve ideo olim credi facillime potuit, imo & debuit. Idem dicendum eſt de viventium cura defunctis adſcripta, qvam ego qvidem ideo tertium numero hujus doctrinæ argumentum, qvod communis ex ea animabus cum geniis vel dæmonibus tutelaribus natura communia etiam officia poſtulet. Hinc autem iterum ſomniorum regimen, qvod defunctis adſcriptum eſſe ſupra (§. 24.) aſſerui, ſponte ſeqvitur, qvippe qvod ejusdem curæ partem vere conſtituit. Eoqve modo hæc doctrina majores noſtros, poſtqvam religionem chriſtianam receperant, adducere facile potuit, ut ſanctorum apparitiones, & ſpeciatim eorum in ſomniis pro-

producendis operam crederent. Unum hujus ex multis exemplum præbet Alexandri Scotorum Regis somnium, tribus sanctis, Olao nempe Norvegiæ Regi, Magno Orcadum Comiti, & Columbæ Scoto in *Hakonar-Saga* expresse adscriptum. Eo etiam virum illum referrem, qvem Sverrerus Norvegiæ Rex ante mortem suam professus est *sæpe sibi per somnum apparuisse, nec tamen unqvam falsa suggessisse* (" madr sá er mer hefer opt synz, ok alldrei hefer villt borit fyrir mik"); nisi præcedentis historiæ series dubium reliqverit, utrum sanctorum aliqvis, an genius familiæ Sverreri tutelaris intelligi debeat; magis tamen placet sanctorum qvendam intelligi, cum unum eorum Regis somniorum, qvæ *Sverris-Saga* de-

scripsit

ſcripſit, Samuelem prophetam, alterum Olaum Sanctum nominatim præferat. Cæterum, an ſomnia, ob tale circa ea defunctorum officium, data etiam opera in tumulis captari ſolita ſint, non aſfirmo, qvamvis id & ipſa hæc doctrina ferat, & exempla innuere videantur, inprimis Thorſteini Taurpedis, & Hallbiorni Halii (§. 23.), a *Bartholino s*) late deſcriptum; qvibus forte jungi poteſt Svenus apud *Torfæum t*), niſi ſuſpicio eſſet, cum artibus necromanticis, qvæ mortuis evocandis exercebantur, magis dediſſe operam. Expeditum autem eſt malorum animas ex hac doctrina malis geniis annumerandas eſſe. Deniqve

s) Ant. p. 186.

t) Hiſt. Orcad. p. 103.

qve & ex ea ſatis commode ſtabiliri potuit mortuorum cultus, (ſive ex naturali majorum veneratione, vel ex gratitudine & beneficiorum ſingularium memoria, ſive ex rationibus politicis primo ortus), qvalis apud nos exempla *Bartholinus* u) & *Olavius* x) collegerunt.

§. 29. Hæc ſecunda fuiſſe videtur cosmogoniæ & pnevmatologiæ borealis facies. Tertiam Odinus formavit; mea qvidem ſententia non prorſus novam, ſed ex prioribus indigenarum dogmatibus conflatam, novisqve tantum acceſſionibus auctam, ſuo inſtituto aptis. Ante omnia populorum ſeptentrionali-

u) Ant. p. 212. 436. 220. 521.

x) Diſſ. de igne ſubterr. p. 21.

nalium, ad qvos venit, ſimplicitas, & artium, his ignotarum, qvas cum ſociis profitebatur, præſtantia, viam ei aperuiſſe videntur, ut ſe & ſuos adſimularet aliis hominibus excellentiores, qvin ex eo eſſe hominum primævorum genere, qvod divina generandi facultate ex materia primo eductum, divina etiam virtute gaviſum aborigines noſtros credidiſſe, vel ſola *Taciti* de Germanorum origine fabula facile perſvadet; ut nihil jam de Mythologiis Eddicis dicam, qvæ idem clare docent.' Certe, ſi genuinam aboriginum noſtrorum doctrinam referant fabulæ de rerum originibus, qvarum ſupra (§. 27.) ſpecimen dedi, manifeſtum inde eſt, qvo modo Odinus & ſuum & ſociorum genus ad

ipſam

ipſam mundi, dæmonum, & hominum originem retulerit, idqve huic ita intexuerit, ut omnium formationem & imperium ſibi aſſerere poſſet. Priore mortuorum cultu ad id commode uti potuit, ut ſui & ſociorum cultum ſtabiliret; prioribus, qvæ ſine omni dubio jam tum creditæ fuerunt, defunctorum apparitionibus, ut ſuis faceret fidem. Doctrina de animarum ſedibus poſt mortem ad ſepulturæ loca vel vitæ utiliſſima ei eſſe potuit, ut artes mortuos evocandi, qvas profitebatur, aliis perſvadere poſſet; nec illam abrogare vel voluiſſe vel potuiſſe videtur; tot enim ejus reliqviæ adhuc reſtant; ſed illuſtriores tantum apud ſuos addidiſſe beatorum ſedes, apud ſe tamen primariam, gloriæ militari forman-

mandæ constitutam, qvæ reliqvis tandem omnibus, si non plenam oblivionem, obscuritarem certe induxit. Ipse cætera philosophia imbutus videtur partim Pythagoricæ & Platonicæ partim Stoicæ simili; ea enim ex ejus institutis passim elucet, nisi qvod novas qvasdam suo commodo finxerit dæmonum inferiorum vel geniorum species. Ex Odini igitur doctrina, opera in somniis, qvam nostri olim defunctis tribuerunt, ipsis qvidem horum animabus adscribi potest, idqve ipsius vel exemplo, ob divinæ cum eo naturæ communionem, vel imperio, ob fatorum hominumqve curam; Vulgo tamen apparitiones hujus generis geniis defunctorum adscribi solitas docebunt qvæ de his infra a) dicam.

§. 30.

a) In observ. 2da.

§. 30. Universa autem, qvæ hactenus dixi, satis, credo, docent, majores nostros ethnicos somnia tribuisse vel corpori rebusqve corporeis extra hominem positis, vel ipsis animæ viribus, vel deniqve aliorum cum ea spirituum commercio. Primum in his locum *Odinus* tandem nactus est, summus qvippe creditus rerum humanarum moderator; secundum vero, in qvavis septentrionis nostri regione, ille sociorum, qvi integræ præses Deusve tutelaris credebatur; cujus loco qvibusdam fuerunt alii, speciali ab ipsis religione culti, ut, in Islandia, Grimketillo, Thorgerda Holgabruda *a*), pluribus, Frey-

a) *Helmveria-Saga* ed. Isl. c. 18. p. 95.

Freyus, *Bartholino b)* notatis, qvibus Hrafnketillum addo, *Freysgoda* ideo dictum. Plurima tamen inferioribus Diis vel ſpiritibus tribuebantur, & ſpeciatim, ea maxime cuilibet horum ordini, qvæ partem tangerent regiminis divini, qvæ huic demandata putabatur: *Geniis* qvidem *locorum*, qvæ integrarum regionum ſtatum & converſiones ſpectarent; *Parcis proprie ſic dictis*, qvæ vitam hominum generatim & fata; *Valkyrjis*, qvæ bellorum fortunam; *Parcis vel geniis hominum tutelaribus*, qvæ ſingulorum fortunam & actiones; *defunctorum* deniqve vel *animabus* vel *geniis*, qvæ poſteros, cognatos, amicos. Hæc certe erat apud nos de ſpirituum ordinibus, mundiqve

b) Ant. p. 340.

diqve per hos regimine, doctrinæ forma, qvamvis eam ſomniorum exempla accurate non ſeqvantur; ita ut ſomnium qvodcunqve non ſpiritum ſemper ſui generis, ſed diverſum interdum præferat. Id vero nihil impedit, cum vel ad errorem referri poſſit, ſive ipſorum ſomniantium, ſive ſomnia narrantium, vel ad Deorum ſuperiorum imperium, jam uni jam àlteri ſpirituum inferiorum generi eadem, ut libuit, negotia mandare creditorum. Ratio vero proxima hujus & ſimilis ſpirituum operæ ex ipſa horum natura eſt petenda. Ut enim exteri, *Voſſio c)*, *Traite de l' opinion d)* & aliis memorati ſcientiam ſpiritibus tribuebant & potentiam humana longe majorem,

 tam

c) De idolol. L. I. c. 7. p. m. 26-27.
d) T. II. p. 91. 138.

tam ob longiſſimam illam ſempiternæ vitæ experientiam, qvam ob ſummam ſubtilis naturæ velocitatem, qva partes mundi vel maxime diſſitas momento pervolarent; ita noſtros etiam ſenſiſſe, ipſe docet talium apparitionum modus, & inter alia eqvitatio per äera & mare Valkyrjis & pluribus diſerte adſcripta. Hæc autem de ſomniis fuſius paulo expoſui, partim ut *Bartholini* deſiderio *e*) qvodammodo ſatisfacerem, partim ut monſtrarem, Hiſtoricos ſeptentrionales, qvod hæc & ſimilia a majoribus ethnicis credita, & ad ſua tempora narrando traducta, in literas retulerint, ratione non magis caruiſſe, qvam ipſos Græcos & Romanos ſimilia de ſuis paſſim narrantes. AP-

e) Ant. Dan. p. 678.

APPENDIX I. OBSERVATIO II.

DE GENIIS

HOMINUM ET FAMILIARUM TUTELARIBUS IN SPECIE,

EX DOCTRINA

BOREALIUM.

CONSPECTUS.

Orientales, Græci, Romani ſuos ſingulis genios aſſignaverunt §. 1.

Qvorum loco antiqvis Septentrionalibus erant Deæ qvædam, ex Parcarum ordine, *Nornir*, *Dyſir*, *fylgior* dictæ, & cur §. 2.

Hæ pro varia hominum dignitate & indole differre, variasqve, animalium maxime, formas induæ, omnia, qvæ homines invicem agitarent, etiam inter ſe agitare, & hominem, qvocunqve iret, præcedere creditæ ſunt §. 3.

Opiniones veterum de iſtis animalium formis ex hiſtoria vel exemplis ſomniorum illuſtratæ §. 4.

Aliæ

Aliæ ſpecies vel formæ, qvibus hæ Parcæ tutelares apparuiſſe olim creditæ ſunt, nempe rerum inanimatarum, hominum, qvos indicarent, & forma fœminina, ſibi ſcilicet propria §. 5.

Harum Parcarum officia, tutela a periculis & futurorum ſignificatio; earumqve a majoribus ad poſteros propagatio, unde familiarum, inprimis illuſtrium, Parcæ tutelares multis veterum memoratæ §. 6.

His, ex Mythologiæ borealis principiis, ſingulorum hominum & familiarum fortuna proxime adſcribenda §. 7.

Et inde proprie explicanda qvæ de fortuna Regia, in alios translata, veteres tradunt §. 8.

Speciatim homines, illuſtres inprimis, ut fortunam ipſam, ita Parcas haſce tutelares qvodammodo in poteſtate habere crediti ſunt §. 9.

Qvod ex ipſa fortunæ apud ſeptentrionales appellatione ulterius illuſtratur. Genii extraordinarii §. 10.

---

§. I.

§. 1.

Dubium eqvidem fateor eſt, unde ethnici hauſerint entium ſpiritualium notitiam; utrum ex divina de angelis revelatione, qvod *Voſſio a)*, *Pfannero b)* & pluribus viſum eſt; an ex contemplatione naturæ, verarum cauſarum ignara, illos corporum motus & converſiones, qvæ animalium & hominum actiones æmulari videbantur, ad naturas referendo viventes, his qvidem ſimiles, ſed tanto potentiores, qvanto magis talium effectuum plurimos omnem ſuperare conſpexerunt moliminum humanorum magnitudinem. Certum autem eſt, qvod eth-

K 4

a) De Idolol. L. I. c. 8. p. m. 29.
b) Theolog. gent. c. 6.

ethnicorum bene multi crediderint, & exiſtere ſpiritus, & qvoddam horum genus hominibus ſemper adhærere. Orientalium qvorundam hæc primo doctrina fuit, qvorum Græci præceptis imbuti ſuos cuilibet hominum dæmonas aſſignaverunt; opinione qvidem vel ante Pythagoram nota, poſt Socratem tamen, per Platonicos, maxime divulgata. Romani genios vocarunt; cetera, Græcos ſecuti, ſuos cuilibet rei, ſingulisqve hominibus ſuos attribuerunt, non vitæ ſolum obſervatores & cuſtodes, ſed ipſius etiam generationis adminiſtros; qvæ eorum doctrina poſt *Apulejum, Servium Grammaticum*, *Cenſorinum* & plerosqve antiqviores, qvi ejus faciunt mentionem, ex recentioribus vero *Alexandrum ab Alexan-*

xandro & omnes qvi Græcorum & Romanorum Mythologiam vel philoſophiam ſpeciatim ſacram deſcripſere, ita eſt omnibus nota, ut opus non ſit plura de ea dicere. Qvi animi tantum gratia varia de his veterum cogitata & varia horum exempla legere vult adeat *Traité de l' opinion c*).

§. 2. Boreales noſtri, ut ſupra *a*) dictum eſt, qvoddam *Parcarum* ſ. Dearum inferiorum genus huic negotio præfectum crediderunt, in eo a reliqvis diverſi, qvod fœminas putaverint, in qvo imitati videntur tam naturam humanam, ex qva præcipua fœminarum pars eſt, & in

c) Tom. II. p. 81 - 98.
a) De ſomn. §. 23.

in ipſo puerperio, & in infantum nutritione & cura; qvam veterem apud ipſos vivendi rationem, ex qva miniſteria domeſtica penes fœminas maxime erant. Cetera vero noſtrates Græcorum doctrinam accurate ſatis exprimunt, ſive Parcarum hujus generis bonarum & malarum diſcrimen, ſive earum officia ſpectes. Qvod nativitatis primum tempore ſuas qvivis acciperet, aſſumſiſſe videntur, ut indicarent, infantem tum primum propria ſibi earum opera indigere, cum ſuum ipſe caput haberet; antea vero communes cum matre habuiſſe; aſt poſtqvam adveniſſent, perpetuas ad eſſe, omnium per totam vitam actionum comites. *Edda* vulgo *Nornir* ſ. Parcas appellat, ob communia officia, & naturam

ram aliqva ex parte cum Parcis commu-nem. Monumenta Poetica ſæpiſſime *Diſir* vocant, ob fœmininum earum genus; hiſtorici vero *fylgior*, qvaſi Deas vel Parcas ſeqvaces dixeris. Sufficit vel ſola hæc nomina notare; ita enim illa, in teſtimoniis veterum, qvibus hic uſus ſum, promiſcue uſurpantur, ut alia non egeat probatione *fylgior* cum *Nornis* easdem eſſe, geniosqve vel Parcas hominum tutelares notare, ubicunqve de his ſermonem eſſe circumſtantiæ indicant.

§. 3. Exſeqvi hoc vulgo credebantur varias indutæ formas, animalium maxime, qvadrupedum vel volatilium, qvibus ſe conſpiciendas præberent, hominem, qvocunqve iret vel rediret, præ-

præcedentes; unde recte *Verelius a) fylgia*, inqvit, *genius est, hominis viventis & adventantis prænuncius.* Differre autem inter se hi genii putabantur, ut ipsæ hominum animæ, talesqve cuivis fati legibus dari, qvales animæ ejus maxime convenirent; illustriores, animabus, præstantioribus ceteris dotibus instructis; vilioribus vero ignobiliores vel saltem debiliores; natura scilicet geniorum & societati accommodata & negotiis, qvæ singuli habituri essent. Eodem & modo formas differre arbitrati sunt, qvibus sese genii hujus vel illius hominis conspiciendos exhiberent, eoqve augustiorem præferre speciem, qvo qvis erat vel

a) Not. ad Hist. Gautr. & Rolfi pag. 88.

vel genere vel dignitate vel virtute clarior. Hoc sensu Russorum magos *Olafs-Saga b*) fabulatur Olaum Tryggvinum, cum exul in Russiam & ignotus veniret, virum agnovisse, & splendidis natalibus ortum, & magnæ ipsum indolis & fortunæ, *qvod genios adesse peregrinos vidissent, illustres & auspicatos, qvales nunqvam viderant, splendida, qvam præferrent, luce, non Russiam tantum, sed & plures orbis regiones illustraturos.* Ita etiam Geiterus *c*) nobile Thorsteini Tauripedis genus, indolemqve egregiam, hariolatus traditur ex pulli ursini specie, qva genium ei præeuntem viderat. Ita deniqve Kiallacum Steinulfo affini confu-

b) Ed. Isl. L. I. p. 60.

c) Ibid. Lib. II. p. 24.

fuluiffe *Gallþoris-Saga d*) narrat, ut cum Thorero amicitiam coleret; *quod, inqvit, ni feceris, grave tibi erit; tui enim genii genios ejus fuſtinere non valent* " Kiallakr bad Steinolf màg ſinn eiga gott vid þori; kvad hannm þungt falla mundu, ef hann gerdi eigi ſva; þar ſem þínar fylgior mega ægi ſtandaz hans fylgior ". Hæc præ aliis clare ſatis docent, qvod & unum genium alteri præſtare crediderint, & qvæcunqve inter ſe homines agitarent, genios etiam eorum agitare, & tum ſui qvemvis genii fortunam ſeqvi; ſimili per omnia modo, qvo Antonium cum Octavio colludentem, ſed ſemper vinci ſolitum, amicorum unus monuiſſe fertur, ut ab eo faceſſeret, adjecta ratione:

d) Cap. 6.

tione: *Tuus genius genium hujus veretur, tuaqve fortuna — illius fortunæ aſſentatur; ut periculum ſit, ni longiſſime hinc abeas, eam, te deſerto, ad eum tranſituram eſſe.* Genios hominem qvocunqve iret comitari, & ad loca, qvæ peteret, prægredi creditos plurima exempla oſtendunt, & in his Thorſteini Tauripedis, nuper allatum, & Sturlæ, qvem *Sturlunga-Saga* e) refert de imminenti hoſtium adventu a fœmina qvadam monitum, *qvod genios hoſtiles vidiſſet, territorium cui præerat intrantes* "ſagdi úfridar-fylgior vera komnar í heradir.

§. 4. Diverſas geniorum formas optime illuſtrant imagines illæ, qvas ſo-

e) Lib. 6. c. 2.

ſomnia vetuſta præferunt, nunc hoc nunc aliud hominum genus indicare creditæ. Tales in Thorſteini ſomnio *a*) olor, filiam, aqvilæ & accipiter, procos indicantes; Talis & in Thorgilſi Orrabeinii ſomnio olor, futuram uxorem ſignificare Thorleifo viſus *b*); in Angantiri ſomnio, aqvilæ, a qvibus ſe & fratres appeti vidit, qvibusqve Biartmarus viros militares portendi conjecit *c*); in *Brodd-Helga-Saga* boves, ſecum invicem pugnare in ſomno viſi, magnorumqve virorum certamina indicare crediti; Deniqve & urſus, qvem in Hoſkuldi ſomnio, virum genere indole & armis nobiliſſimum, Gun-

a) Gunlaugs-Saga Ormstungo c. 2.
b) *Floamanna-Saga* c. 24.
c) *Hervarar-Saga* c. 5. p. 67.

Gunnarum de Hlidarenda significasse *Niáls-Saga* d) tradit; Ingigerda vero Sveciæ Regina, in suo, denotare augurata est vel Regem, vel regis filium, tam robur animalis, qvam promptam ad omne periculum audaciam spectans e). Summa rei hæc est, fœminarum genios animalia præferre pacata, specie tantum diversa, ut diversa cuilibet erat dignitas, indoles, vel forma; qvomodo Olores fœminas vulgo notasse credebantur nobilitate, animi dotibus, vel venustate spectabiles. Virorum contra genii feras præferre putabantur, sed simili discrimine, ita ut maxime generosas viri ha-

d) Cap. 19.
e) *Gautreks-Saga* cap. 23.

haberent genere & virtute illuſtres, ignobiliores reliqvi, magis nocendi libidine famoſi, qvam armis clari. Exempla præbent Ingigerdæ Reginæ ſomnia ex *Gautreks-Saga*, & ex *Thorſteins-Saga f)* Thorſteini Vikingi filii ſomnium, in qvo urſi bene multi, qvos in ſe irruiſſe viderat, Niorvii Regis filios, vulpeculæ vero, qvæ hos ſeqvi viſæ ſunt; duos viros peſſimos ſignificaſſe traduntur; qvo & modo Sverrerus Norvegiæ Rex Nicolaum epiſcopum Oſloenſem *vulpem* appellavit, ſubdolum ejus animum ſignificaturus. Speciatim autem inimicorum, inſidiatorum, vel ſicariorum, genios, nunc ſerpentum, nunc, & ſæpiſſime qvidem, luporum forma ſomnia ex-

f) Cap. 12.

exhibent, qvasi figuram ad hoc negotii assumsisse dicas malum talium hominum animum indicantem; unde etiam interdum in monumentis veterum tam hostes ipsi, qvam iræ, odia, doli & vindictæ cupido, ut ferarum generatim, ita luporum inprimis nomine venire solent; unum exemplum præbet *Tentamen* nostrum *de nom. propr.* g), alterum *Hrolfs-Saga Kraka* h); Novum addit *Volsunga-Saga* cap. 44 i), & clarissimum qvidem cap. 42 k), ubi Gudruna Giukii filia *annulum aureum, fratribus ab Atlio Rege missum, pilis lupi circumdedisse* fertur, *ut lupinum Atlii in eos animum,*

g) p. 38. 39.
h) Ed. *Biörn.* cap. 3. p. 10.
i) p. 95. k) ib. p. 92.

mum, dolosqve ſignificaret, ſplendidis promiſſis veſtitos. Eodem ſenſu Urſum niveum, qvem Gudmundus ſomniaverat, Sigurdus in *Örvarodds-Saga* ſuſpicatus traditur cognati eorum Oddi genium eſſe, qvod animum in eos *lupinum* i. e. hoſtilem (Ulfshug) gereret. Ita & Sverrerus Norvegiæ Rex Danos, cum ſibi inimicos comperiſſet, *lupos ſibi alere* pronunciavit ("ſpyrz mer ſva til, ſem Danîr mano enn ala off Ulfa, *Sverris-Saga*"). Ita deniqve Nicolaus epiſcopus Oſloenſis Haqvino grandævo Norvegiæ Regi hoſpitium negans, *lupos vitulis*, i. e. milites aulicos clericis, *intereſſe non poſſe*, cauſatus traditur ("at eigi mætti allt vera ſamt ulfar ok kalfar, *Hakonar-Saga*"); ut innumera alia præteream.

eam. Somniorum autem, qvæ lupos præferunt, exempla exhibent: Gunnarus de Hlidarenda in *Niala*, Biornus Hitdalensium Athleta in *sua ipsius Vita*, Helgo Drauplaugæ filius in *sua*, Thordus Hræda in *sua l*) & Atlius in *Isfirdinga - Saga m*), qvi omnes irruentia somniasse feruntur luporum agmina, anteqvam cum hostibus, vel vias, vel villas eorum obsidentibus, esset pugnandum. Jungi his potest Gislo Surffon ex *sua ipsius Vita n*), nec non Kostbera Hognii Regis uxor, cujus somnia *Volsunga-Saga o*) retulit, Odam secuta vetu-

 stam

l) Ed. Isl. c. XI. p. 72.
m) Ed. Isl. p. 55.
n) Ed. Isl. c. 14. p. 144. & c. 34. p. 174.
o) Cap. 43. p. 93. 94.

ſtam *Atlamál hin grönlenſko*, qvæ in Edda antiqviori adhuc ſuperſtes ultimum ita exponit:

Aurn hugda ec her
Innfliuga
At endlongo huſi,
Þat man oſs driugt deilaz
Dreifdi han oſs öll blódi
Hugda ek af heitom
At væri hamr Atla.

Id eſt:

Aqvila huc viſa mihi eſt
Introvolare
Per totam domus aream,
Id nobis multum mali afferet
Nos enim omnes ſangvine conſperſit,
Et putavi, Atlii minis inducta,
Ejus genium eſſe.

Hamr

Hamr proprie exuvias significat vel formas animalium, inprimis avium, qvas Odini & sociorum exemplo assumere magi olim credebantur, in locis dissitis nova exploraturi; hic autem formam vel speciem notat, qva genius Atlii apparuisse putabatur.

§. 5. Nec tamen solæ his geniorum apparitionibus servire credebantur animalium formæ, sed res etiam *inanimatæ*, qvalem in Astridæ somnio *Olafs-Saga a)* armillam repræsentat, eamqve mariti Tryggvii *Forynio* vocat, qvasi prodigium dixisset, vel genium futuram ejus cædem hoc simulacro adumbrantem. Idem etiam Thorgunna intendisse videtur,

a) Lib. I. c. 37. p. 34.

tur, *veri maxime ſimile ſibi videri pronunciaus pluviam ſangvineam Frodarenſem alicuius ex domeſticis prodigium* eſſe (" þat þykir mer líkligaz, at þetta mundi furda þeſs mannz nockors, er her á heima, *Eyrbyggia - Saga*"); Eoqve ſine dubio Thorerus Vidleggus reſpexit, lumen illud inſolitum lunæ ſpeciem referens, qvod in culina Frodarenſi apparuit, mortes denotare auguratus. Interdum contra *genius* apparens, *hominis, qvem indicavit*, *formam* ſervaſſe traditur; qvomodo Thorleifus ſapiens Hallfredum ſe ſæpius ſomniaſſe dixit, anteqvam hic, ab Olao Tryggvino miſſus, veniret, cum vel interfecturus vel viſu privaturus *b*). Eo & ego plurima

b) *Olafs-Saga* ed. Isl. L. II. p. 114.

rima illa somnia refero, qvæ Olai Tryggvini apparitionibus eadem *ejus vita* tribuit, qvalia sunt Hallfredi, ne cum Griso singulari certamine contenderet *c*); Gauti Norvegi, ut labore & fame langvens fluvium transire posset *d*); Hallfredi, ne qvid in Ericum comitem tentaret *e*); & Abbatis insulæ Sanctæ, ut Hallfredum rite sepeliri curaret *f*). Simile mihi de similibus judicium est, cui qvæ infra dicturus sum satis credo probabilitatis conciliabunt. Deniqve & genii propria sibi juxta *Eddam* forma apparuisse traduntur, fœminina nempe,

c) Ib. L. II. p. 306.
d) Ib. p. 311.
e) Ib. Append. p. 19.
f) Ib. p. 22.

qvalium exempla ſuppeditant: fœminæ, qvas Gislonem Surſſonium & Biornum Hitdalenſium Athletam de futuris per ſomnia monere ſolitas ſupra *g*) deſcripſi: fœmina, qvam Thorgeiro Hvinenſi, qvod hoſtem hoſpitio excepiſſet, per ſomnium indicaſſe *Landnama-Saga* narrat *h*): Deniqve fœminæ, qvas Glaumvoram ſomniaſſe *Volſunga-Saga* *i*) refert, *Gunnarum ſibi maritum depoſcentes, qvasqve ejus Diſas eſſe ſuſpicata eſt; Diſas* enim omnes qvidem Deas, proprie tamen genios vel Parcas tutelares ſignificare, *Bartholinus* *k*) docuit, pluraqve exempla

g) De ſomn. §. 23.
h) Lib. 3. c. 15. p. 115.
i) Cap. 44. p. 94. 95.
k) Ant. p. 614.

pla confirmant infra (§. 6.) adferenda, qvæ & nova apparitionum ejusdem farinæ fœmininarum ſpecimina dabunt.

§. 6. Parcarum hujus generis officia ex antedictis facile intelliguntur. Duo autem præcipua, tutelam nempe a periculis & futurorum ſignificationem clare, licet breviter, *Volſunga-Saga a)* exprimit, de Sigmundo referens, *ita eum ſpá-dyſir, id eſt,* genios vel *Parcas fatidicas protexiſſe, ut a vulneribus immunis eſſet, qvamvis inter confertiſſimos pugnans;* idqve *Aſmundar-Saga Kappa-bana b)* haud parum confirmat, fœminas armatas, in ſomnio apparentes, Aſmundo,

a) Cap 20. ed. Biörn. p. 29.
b) Ed. *Peringſk* c. 8. p. 20.

do, de eventu prælii dubio, animum addidisse narrans his verbis; *Nos spádysir* id est: *Parcæ tuæ fatidicæ sumus, te contra viros, cum quibus tibi res erit, protecturæ.* Genios unius cognatorum, ad alterum, & proximum qvidem, transire creditos Hediui exemplum *c*) indicat. Usitatius tamen majorum genii ad posteros propagari vel transmitti putabantur, speciatim ad eos, ad qvos imperium familiæ vel natalium jure, vel virtute, vel fortuna devolvebatur. Hoc sensu *Vatnsdæla-Saga d*): *Nocte qvadam,* inqvit, *anteqvam Thorsteinus ad convivium iret, fœminam illam, quæ majores ejus secuta fuerat* (genium puta fa-

c) De somn. §. 21.
d) Cap. 34.

familiæ Vatnsdalensis) *somniavit ad se accedentem, &, ne iret, petentem; Is se promisisse respondit. Illa vero regessit: temerarium hoc est, tibiqve mali erit causa. Eodem modo per tres noctes rediit, eumqve increpuit, & tandem oculis contactis, dolore affecit, iter impedituro.* "Eina nótt ádr Þorsteinn skylldi fara til Veitzlunnar, dreymdi hann, at kona su, er fylgt hafdi þeim frændom, kom at hanum, ok bad hann hvergi fara; hann qvadz heitit hafa: hon mællti: þat er úvitrligt, ok mantu illt af hlióta; ok sva for III nætur, at hon kom ok ávítadi hann, ok tók á augom hanum". Vides hic majorum genium posterorum curam gerentem. Multo tamen illustrius hujus transitus Specimen *Vigaglums-Saga*

Saga exhibet, qvod ex editione Islandica *e*) ita verto: *Relatum est Glumum nocte quadam somniasse, se foris in villa sua Thveräensi constitisse, inqve Sinum Eyafiordensem* huic subjectum, *prospexisse, tumqve fœminam vidisse per territorium a maritimis ascendentem, cursumqve ad villam suam dirigentem, tantæ quidem proceritatis, ut humeri ejus circumjectos utrinqve montes æqvarent; se autem e villa ei ivisse obviam, eamqve ad se invitasse, tumqve expergefactum esse. Omnibus hoc miraculo proximum videbatur. Ille vero: Magnum utiqve, inqvit, est & notabile somnium; ita autem interpretabor: Avum meum maternum Vigfusum Ducem mortuum esse, fœminamqve illam bonum ejus* ge-

e) Cap. 12. p. 197.

genium vel fortunam fuisse, quæ montium superare altitudinem videbatur, quod vir esset, & virtute & dignitate aliis superior; huc vero divertisse, quasi sedem sibi apud me quæsitura. Non est, credo, objiciendi locus, hæc exempla tantum singularia esse, cum tot alia testimonia prostent, familiarum illustrium genios indicantia. Fabula de Thidrandi cæde, qvam supra *f*) memoravi, *genios* nominat *familæ Halli de Sida seqvaces; Thordar-Saga Hredo g*) genios *familiæ Karii Hordensis*, vel parcas tutelares, qvas *ættarfylgiur* vocat, magnos posteris animos bonamqve fortunam præsenti semper opera afferentes: *Aut enim*, inqvit

f) De somn. §. 23.
g) Ed. Isl. c. 8. p. 70.

qvit Thordus, *genii familiæ meæ curandi non ſunt, aut aliqvot inimicorum vitam certe amittent, anteqvam proſtratus ſim.* Eodem modo *genium familiæ Volſungorum* Signia in *Volſunga-Saga h*) nominat: *præſcire ſe* dicens, *& ſua mentis ſagacitate, & genii vel Parcæ familiæ ſuæ tutelaris monitu* (ita *Kynſylgia* verti debet) *multum mali ex matrimonio ſuo oriturum eſſe.* Huc etiam ego *fortunam* refero *familiæ Laxdalenſis*, qvam *Bartholinus i*) notavit Hoſkuldum Olao filio ſolenni formula addixiſſe; *Laxdæla-Saga* vero ſimul profeſſum addit: *ſe id non feciſſe, qvaſi ignarus eſſet hanc apud eum jam tum fixiſſe ſedem* " qvedz eigi fyrir

h) Ed. Biörn. c. 7. p. 8.
i) Ant. p. 696.

fyrir þat þetta mæla, at eigi viſſi hann, at hon hefdi þar ſtadar numit. Sociam huic jungo *fortunam familiæ Hrafniſtinæ*, qvam *ættargipto Orvarodds-Saga k)* vocat, ejusqve Oddum notabile feciſſe periculum narrat; certiſſimus qvippe, aliud hac non intelligi, qvam præſentem genii familiæ vel Parcæ tutelaris opem.

§. 7. Primum mihi hujus opinionis argumentum eſt, qvod eorum, qvæ de *fortuna* Antiqvitates noſtræ tradunt, facilis & ſolida ratio reddi omnino neqveat, niſi ea ad genios referas; id autem ſi feceris omnia ſtatim plana ſunt.

k) Cap. 4.

ſunt. Sic ubi qvis bona vel proſpera fortuna gaviſus refertur, bono ejus genio hoc adſcribendum erit. Ubi unius fortuna alterius fortunam viciſſe traditur, hujus genii cenſendi ſunt potentioribus illius geniis ceſſiſſe. Fortuna deniqve familiarum genium familiæ indicat bonum & præpotentem. Simili modo mala cujusdam fortuna malum ejus genium prodit, bono genio fortiorem; qvemadmodum contra bonum malo fortiorem indicat, ſi cui unus tantum, isqve bonus tribuatur, uti (§. 6.) de Thorſteino Vatnsdalenſi & Vigaglumo relatum eſt. Secundum mihi argumentum præbent diſerta antiqvitatum teſtimonia, omnem hominum fortunam ad genios referentia. Ita generatim *Edda* proxi-

proximum vitæ & fortunæ regimen geniis vel Pacis ſuis tutelaribus aſſignat, & bonam qvidem fortunam bonis, malam vero malis tribuit. Idem exempla ſpecialia ſtabiliunt. Kiallakus (§. 3.) fortunam Steinulfi fortunæ Thoreri ceſſuram ideo augurabatur, qvod hujus genios potentiores eſſe comperiſſet. Gislonis Surſſonii infortunia inde *Gisla-Saga* deducit *a*), qvod malus ejus genius, bono valentior, irrita rediidiſſet qvæcunqve hic ei utilia moliebatur. Thidrandi cædem Thorhallus in *Olafs-Saga* *b*) inde explicat, qvod mali familiæ genii, bonos, auxilium ei ferre volentes, celeritate prævertiſſent. Ita etiam *Volſunga-Saga* (§. 6.) Sigmundum

 nar-

a) De ſomn. §. 23. *b*) Ibid.

narrat, dum Disæ eum fatidicæ protexerunt, felici successu usum esse, ast, ubi potentior hostis Odinus in prælium venit, *a fortuna desertum*, manifesto indicio, hanc penes Disas hasce vel genios fuisse, atqve ideo his, Odini adventu perculsis, recessisse. Idem deniqve *Halfs-Saga* c) svadet, Ursteinum ideo referens pugnam cum Ulfo optasse, *qvod speraret Disas suas galeis instructas secum in Daniam venisse*, præsenti sibi auxilio futuras; Ulfum vero respondisse: *se suspicari omnes Halfsreckorum*, s. athletarum Halfi Regis (qvorum unus Ursteinus erat) *Disas mortuas esse, & omnem cum his ab eis secessisse fortunam.* Non obstat, si vel objicias, ultima duo testimo-

c) Ed. Biörn, p. 27.

monia Valkyrjas tantum notare vel Parcas bellicas; eo enim geniis fortunæ humanæ regimen minime negas, ſed certam tantum & ſuam cuivis geniorum ordini hujus regiminis partem aſſeris; & bellicam qvidem fortunam Valkyrjis vel Parcis militaribus; domeſticam geniis ſive Parcis vel familiarum vel ſingulorum hominum tutelaribus; generalem vero & ſuperiorem & ipſius vitæ & omnis in ea fortunæ curam Parcis proprie ſic dictis. Eam veram eſſe veteris, de *fortuna*, Borealium doctrinæ formam triplex Parcarum diſcrimen ſupra *d*) deſcriptum indicat; Et eo ſenſu facile explicari poteſt difficillima alias carminis *Vafprudnismál* de Parcis proprie ſic dictis ſtropha: M 3 Þriár

d) De ſomn. §. 22. 23.

Þriàr þioþar
Falla þorp yfir
Meyia Maugþrafis
Hamingior einar
Þeirra (þær er) í heimi ero
Þó þær meþ Jötnom alaz.

Id eſt:

Tres, gentium
Oppida pervolant,
Ex virginibus Othini,
Fortunæ unæ
Earum quæ (quæ) in mundo ſunt,
Qvamvis apud gigantes natæ.

Secutus ſum qvam proxime verba Pöetæ, qvo evidentius ipſa eorum forma pateret. Monendum autem eſt locutionem: *hamingior einar* &c. duplici modo verti poſſe. Prior eſt, ut vox *einar* ſolas notet,

& ſenſus ſit, *ſolæ, qvæ in mundo ſunt,* vel *eorum qui in mundo ſunt,* hominum puta, *fortunæ moderatrices;* Sed tunc & *Edda* recentior, & plurima alia contradicunt veterum teſtimonia, non ſolis Parcis proprie ſic dictis, ſed aliis etiam Parcarum ordinibus fortunam adſcribentia; niſi forte *ſolas, Principales* intelligas. Poſterior interpretandi modus eſt, ut integra locutio ad ipſas Parcas referatur, & ſenſus ſit: *Unum genus earum Dearum, qvæ in mundo ſunt fortunæ moderatrices.* Hunc varia lectio, qvam ideo una attuli, perſvadet; idqve opinionem de ſua fortunæ parte ſingulis Parcarum generibus adſcribenda haud parum confirmat.

§. 8. Sed qvidqvid hujus ſit, certiſſimum eſt ſuam fortunæ partem geniis vel Parcis tutelaribus adſcriptam esſe. Inde autem rectiſſime tam ipſa illa benedictio explicatur, qva Odinus ſuos ad pericula muniviſſe traditur, qvam veterum borealium opinio (hac forte etiam ſuffulta), qvod ſuam unus alteri fortunam comitem dare poſſet. Regum veterum exempla qvot ſufficere poſſunt *Bartholinus*, a) notavit, fortunam ſuam qvæ *Kongs-hamingia* & *Kongs-gipta* vulgo audit, ſatellitibus ſuis aliisve amicis commodantium, non certi tantum negotii, periculi forte plenioris, adminiſtram, ſed totius etiam vitæ arbitram; Agnoſcit etiam b) idem nonnunqvam a pri-

a) Ant. p. 694 - 95. b) p. 684.

privatis factum, ſed qvibusdam tantum *c*). Mihi vero exempla cogitanti fortunæ a privatis cum nominibus una vel translatæ in alios, vel transferri creditæ, alibi *d*) collecta, dubium eſſe neqvit, qvin, qvale regibus, privatis etiam, inprimis illuſtrioribus, fortunæ ſuæ arbitrium veteres tribuerint; ejusqve novum ſpecimen præbere videtur Vigfuſus Dux, qvem Glumo ex filia nepoti abitum paranti *Vigaglums-Saga e*) inducit ita conſulentem: *En! qvæ tibi dabo cimelia avita familiæ noſtræ, tunicam, haſtam, & gladium, in qvibus magnam nos cognati fiduciam*

M 5

c) p. 696.

d) In Tentam. de nom. propr. p. 29. 30. & 34.

e) Ed. Isl. c. 6. p. 192.

ciam collocavimus. Hæc quamdiu poſſides, ſpero te dignitatem ſervaturum, ſi vero alienes fortunæ tuæ timeo. Dixi talia omnia ex doctrina de geniis explicari debere; id enim res ipſa docet, cum noſtri fortunæ regimen geniis tribuerint; & eo ſenſu alibi *f*) idem majoribus noſtris *fortunam Regiam* notare aſſerui, qvod *genius principis* vel *imperatoris* Romanis notat.

§. 9. Hæc autem fortunæ communicatio novam nobis geniorum vel Parcarum tutelarium in veteri Mythologia qvalitatem prodit, qvod nempe eos ita in poteſtate habere homines, inprimis illuſtriores, crederentur, ut aliena

etiam

f) Disqv. de Peregr. Isl. §. 21.

etiam negotia eis mandare possent; & eo forte sensu genii, *Olafs-Sagæ a*) & aliis passim, *hugir* i. e. *animi* audiunt, non tantum qvod affectum mentis figura sua vel forma sæpius imitarentur (§. 4.), sed qvod animæ seqverentur nutum, occulto cum eis commercio, qvod *conjunctionem Cicero* vocat, communicatum. Ad fortunæ Regiæ communicationem qvod attinet, notari meretur, qvod hæc forte nulli heroum veterum tam sæpe tribuatur, atqve Olafis illis duobus, Tryggvino & Sancto, Norvegiæ Regibus, qvasi religionis Christianæ, qvam professi sunt, miraculis annumerari unice deberet. Neqve nego, qvod monachi, in horum Regum adulationem ita effusi, ut

eis

a) Ed. Isl. L. II. p. 31.

eis etiam miracula tribuant, vel ipsi crediderint, vel persvadere aliis voluerint, reges hosce hæc per angelos effecisse, qvos ad manum habuerint mandatis suis parentes. Sed nullum id jure scrupulum movebit. Primo enim vel sic, in fortuna transferenda, spirituum opera conceditur. Deinde etiam multa alia fortunæ in alios translatæ exempla prostant, non his tantum regibus recentiora & coæva, sed antiqviora etiam, qvorum rationem antedicta satis, credo, docent aliunde peti non posse, magis convenientem, qvam ex numinibus illis vel geniis, qvos viris magnis adesse omnium fere gentium olim fuit opinio.

§. 10.

§. 10. Qvi argumentis Etymologicis delectatur idem adhuc ulterius confirmare poterit ex ipso fortunæ nomine *hamingia*, qvasi ab *hamr*, *exuviæ*, *species*, vel *forma adscititia*, ducto, ut spiritum notet ultro citroqve pervolantem, & jam ipsius domini, jamqve, hujus imperio, aliorum negotia curantem, variis pro re nata assumtis formis. Hanc spiritibus facultatem boreales tribuisse, vel solæ probant veterum de magis narrationes, qvi in loca vel dissitissima transvolare putabantur, alias atqve alias induti formas, ideo *hamhleypur* dicti, qvasi *in aliam formam transcurrentes* diceres; eiqve rei simi-

les

les Odini artes maximam feciſſe videntur fidem. Hæc ſi admittatur fortunæ in alios translatæ ratio, eam ſvadet a viventibus non penitus alienari, ſed uſum tantum ejus & operam, ubi opus eſſet, commodari creditam. Aliud de morituris judicandum eſt, qvi fortunam in alios veluti per teſtamentum transtulere. Sed nolo hæc pluribus perſeqvi. Moneo tantum genios etiam extraordinarios in veteri noſtra Mythologia dari, qvos caſus qvidam ſpecialis attulit, qvales Landvætti ſ. genii locorum fuere Hafurbiornum ex pacto comitati. Tales etiam ſunt ſpiritus magorum familiares, & in

his

his Disæ illæ suæ, qvarum præsens semper auxilium Sindrius Thorsteino Vikingi filio addixisse fertur a).

a) *Reenb.* not. ad Thorsteini Vitam pag. 126.

Imprimatur, in fidem Protocolli,
G. SCHIÖNNING.

Typis Regiæ Eqvestris Acad. Soranæ.
Excudebat JONAS LINDGREN, Academiæ Typographus 1769.

